

LEDUM.

Oleum
ex Lada-
no quo-
modo pa-
retur.

Ladani
vires ex
Galeno.



Nomina.

a Meum
κινδύνας.
i. pelti-
nes.
b Meum
καρνεύφα-
ρα, i. sub-
adstring-
gens.
c Meum
διὰ φέρει.
δ Meum
καλὸν, i.
lineas al-
bas.

d Meum
& Catac.
καλὸν, i.
fulvas.

e Meum
ἡνὸς δὲ τῶν
καρνεύφα-
ρα ἢ ἀκα-
θάρτα κα-
λὸν ἔχοντα
ἰμφορὰν ὁ-
τῶν, ἀντὶ τῆς
ἐν τῷ πο-
τῶν, i.
quidam
Sefami,
aut Ac-
chi ligna,
quod illi
similia
sunt, pro
Ebena
vendunt.
Ebena cō-
sider. ex
Th. & Pl.

qua Ladano insunt, poscentes: quippe proveniunt haec ex pravis succis, lentis crassisque, quos secantia ac digerentia medica-
menta potissimum evocant atque evacuant. Ceterum tenuium partium sint facultatis oportet, & minime astringentis:
non tamen usque adeo tenuium partium, & desiccatoriae, ut nimio plus desiccant, unaque cum collectis imbi succis prae-
naturam, naturalem quoque humiditatem incrementa pilis suppeditantem absument, nam sic non tantum alopecia libe-
rabunt, sed & calviciem afferent. Sed haec ad curandi rationem pertinent. Arbuscula, quae Graece *κινδύνας*, Latine similiter
Ledum nominatur, Arabice Chafus. Quod vero *κινδύνας* Graeci, Latini item Ladanum vocant: Mauritanii, Loden sive La-
den: Itali Laudano & Odano: Hispani, Xara.

Cistus Ladonifera vel Ledum: Galeno cistus aut ladanum: Plinio Lada. Recentioribus Ledum &
Cistus ledon. Hujus genera decem Clusius hist. Hisp. proposuit: quibus tria adhuc Lobelus addit, & hi-
storia Lugdunensis, his omnibus & aliam nomine Ledi Bauhini adiecit. Ladanum verò, sive officinarum
Laudanum, lenta est resinosa & odorata pinguedo, foliis & ramis Cisti ledi adhaerens, quae inde colligi-
tur diversimode, qua de re Dioscorides, Plinius, Hermolaus & Bellonius.

Ebenus.

EBENUS.

CAP. CXI.

Ebenus optima habetur Aethiopica & nigra, nullos habens a venarum discursus, facit cornu lae-
vare: cum frangitur, densa apparet, mordens gustu, atque astringens. Sufficit jucundo odore su-
pra carbonem, sine fumitadio. Recens autem ad ignem prolata, ob pinguitudinem accenditur, & trita
ad cotem rufescit. Altera est Indica, & internatis segmentis candicantibus, & modice fulvis, item fre-
quentibus maculis: ceterum prior bonitate antecedit. Apud quosdam sesamina, aut spinea ligna con-
similia pro ebena vaneunt. Quod discernitur ex eo, quod fungosa sunt, & in purpureas aillulas resolvun-
tur, nihil mordacitatis in gustu, nec redolentiae in suffitu praefereant. Caliginem oculorum absterget:
ad veteres destillationes, pustulasque mirum in modum pollet: si quispiam facta ex eo cotica colliriis u-
tatur, melius proficiet. Ad oculorum medicamenta efficax est, si scobes, ramentave vino Chio, die no-
ctuque macerata, in collyria digerantur. Nonnulli praeterita ipsa excolant, reliquaque eundem in modum
peragunt. Alii pro vino aqua utuntur. Uritur in fictili novo, donec in carbonem redigatur. Lavatur
plumbi ultimi modo, & ita siccis, scabrisque lippitudinibus conducit.

Redidit Theophrastus in India tantum nasci Ebenum lib. 4. cap. 5. de historia plantarum, ubi sic habet. Ebenus quoque
ejus regionis vernacula est. Hujus duo genera constant: alterum materie laudatum pulchrumque: alterum vile & vi-
tium. Rarum, quod praestantius: reliquum permultum habetur. Colorem commendatum, non recondita, sed statim
sua natura capessit: haec Theophrastus. Quod etiam sensisse videtur Virgilius in Georgicis lib. 2. ita canens:
-- sola India nigrum

Fert ebenum, solis est ethura virga Sabaeis.

Plinius etiam lib. 12. cap. 4. Ebenum nusquam alibi, quam in India nasci scriptum reliquit: nec eam tamen Indiam uni-
versam mittere, sed exigua sui parte gigni, praeter quoddam fruticosi generis cyrifi modo, in tota India dispersum. Herodotus
verò (eodem auctore) Ebenum Aethiopiam solam ferre intellexisse videtur: quippe qui de Indica nullam fecerit mentionem.
Veruntamen ex hoc Dioscoridis capite palam est, nasci Ebenum in ambabus his regionibus. Indi quidem non nisi ex ebena
Deorum

- Deorum simulachra fingunt, regesq; ex eo tantum sceptrum sumunt: item pocula, craterasq; ex ebena faciunt, quod sanè credant contra maleficia efficacissimum esse. & quicquid veneficii fuerit, tractu ejus averti. Itaq; nihil mirum, si quod peregrinum in Italia importatur, summo sit in pretio, cum etiam ab ipsis, quibus provenit, maximo honore habeatur. Ebenum quando primum Romæ.
- Ebenum ex India Roma primum magnus Pompeius Mithridatico triumpho ostendit, cujus materies densissima omnium constat: quo fit, ut quamvis multis annis exarescat, non sinitur in aquis, sed tota mergatur. Ebeni siccatos truncos maxime hac etate novit Italia: namq; innumeri visuntur in eorum officinis, qui pectines conficiunt ad explicandos aptandosq; capillos: itemq; apud illos, qui globulos funiculo trahendos ad mulierum preces numerandas torno in orbiculos expoliunt. Pausanias in libro primo, Græciam describit. Audivi autem, inquit: Cyprium hominem oppido quam peritum in herbarum generibus ad medendi usum notandis, qui diceret, Ebenum nulla folia, nullumq; omnino fructum ferre, quin & stirpem nullam esse soli expositam: radices tantum terra occultari, quas eruant Aethiopes, atq; in primis, qui quo maxime loco reperiantur, norunt. Hæc ille: quæ etsi fabulosa fortasse videantur, facilius tamen illi crediderim, quam Anguillario, qui minorem Anagrim, quam Ananienfes Eghenum vel Eghelum vocant, vocis tantum similitudine fretus, secundum ebeni genus (ridenda sanè opinione) Theophrasto esse censet. Cum Eghenus fetidissima sit planta, & scribant Theophrastus, & Plinius id ebeni genus in India tantum nasci, & in India tota esse dispersum. Redeo ad Pausaniam ebenum, quod quidem fabulosum haudquaquam existimo, cum scribat Georgius Agricola fossilium indagator maximus, reperiri etiam in Germania Ebenum fossile, ad septimi libri ferè calcem, his verbis. Quinetiam Hildesheimi intra terram aluminosam juxta lignum in lapidem mutatum, & in ejus commissuris reperitur ebenum fossile, quod & sparsum in aliorum lapidum cavernis, tanquam in alvolarum Theophrastus non ignoravit. Stirps est nigra, foliis fructusq; carens, cornu politi modo splendidum, solida, sed levis, omnino aspectu similis gagate lapidi, sed natura admodum diversa: nam ebenum ignem non sentit, Gagates accensus ardet & igni perit: Hæc ille. Cæterum an ebenum, quod ad nos affertur legitimum sit (si Dioscoridi credimus) non parum videtur dubitandum, quod sufficere nullo commendetur odore: verum quum cætera ejus nota legitimi sint Ebeni, non omnino eorum opinio videtur rejicienda, qui nihil de ebena dubitant, & præsertim cum Theophrastus & Plinius nullibi (quod legerim sciverimq;) odorati ebeni meminerint. Ebeni vires scripsit Plin. lib. 24. cap. 11. his verbis. Non omitam propter miraculam ebenum. Scobem ejus oculis unice mederi dicunt: lignoq; ad cotem trito cum passo caliginem discutit, ex aqua vero & radice albugines oculorum. Item tussim pari modo cum melle ac dracunculi adjecta radice. Ebenum medici & inter erodentia assumunt. Ebeni meminit Gal. lib. 6. simplic. medicamentorum sic inquit. Ebenus ex iis lignis est, quæ trita cum aqua in succum solvuntur, ut lapidum nonnulli. Vis ei inest exalfaciendi, extergendi & tenuium partium. Quamobrem quæ pupillas offuscant, extergere creditur: miscetur aliis remediis ocularibus, quæ ad ulcera vetera, fluxiones & bullas, sive pustulas accommodata sunt: hæc Galenus. Sunt qui lignum ex India petunt, quod quidam GUAIACUM, nonnulli Guajacacum, pleriq; verò lignum sanctum appellant, cujus adversus Gallicam luem præcipuus est usus, ebeni genus esse crediderint. Quod quidem nec asserere, nec negare ausim, quandoquidem nusquam invenerim apud quenquam tum veterum, tum recentiorum scriptorum, quæ frondes, quos flores, quosq; fructus proferat ebenus. Illud tamen omnibus perspicuum est, Guajacum nihil, nisi summa nigritia, ab ebena distidere, quæ in hoc summo splendore nigricat, in illo albescit: cæteris verò qualitatibus id maxime cum ebena certat. Tria ad nos Guajaci genera afferuntur, ut in suis Epistolis doctissime adnotavit Marnardus Ferrariensis: quod & nobis jamdiu planè compertum est, cum hæc omnia sæpius nobis præ manibus fuerint. Primum itaq; genus crassiori, vegetiori, mole constat, quo resecto materies apparet interiore parte nigra, exteriori verò subpallida & veluti perplexis lineis quibusdā ad fuscum tendentibus, per longū intersepta. Alterū caudice minori, nec adeo vegetiori habetur, cujus extremitates majore ambitu se diffundunt: imminuere verò quæ pariter nigricant, minore satis orbe concluduntur. Tertium, quod propriè sanctum appellant, caudice cæteris exiliore visitur, intrinsecusq; & extrinsecus albicans, cujus materies lineis admodum exilibus in longum actus perplexe distinguitur, estq; hoc longè cæteris & acrius & odoratius. Cæterum credendū non est ejusmodi ligna, etsi colore, magnitudine ac pondere inter se discrepent, idcirco diversarum esse plantarum, diversorumq; generum, ut quidam fortasse existimant, quorum unus est Fallopius. Nam quod hoc tam intus, quam extra candidet, illud verò interiore sui parte nigrescit non aliunde provenit, quam quod hoc magis, illud verò minus adoleverit vel consenuerit. Quippe eo sanè nigrius cernitur lignum Guajacum, quo ad maturiorem ætatem pervenerit arbor, à qua decisum fuerit: & per consequens tanto magis album apparet, quanto minus adoleverit illa, quemadmodum conspiciuntur in nostris nonnullis Italia arboribus. & præsertim in moro, nucæ & anagryi. Veruntamen illud cuiq; persuasum sit ætatem unius plus, quam alteri virium addere ac demere. Quæ de re verba facturi dicamus, cum illud, quod planè omni ex parte albicat, odoratius, acrius & amarum habeatur, cumq; ejus decoctum crassius & cæterorum decocto pinguius sit, & acrimonia & amaro admodum refertum, ut ipsa me docuit experientia, nil mirum esse crediderim, si in eo, utpote juniore, vis insit vegetandi præstantior, ac propterea plus in se succi contineat, quin & cæteris viribus præstet. Eaq; propter putaverim ego, hoc illi in usu perpetuo fore, quibus ob Gallicam luem ulcera emerferint depascentia, contumaciaq; ossa verò cariosa sint, ac putrilagine consumpta, & tumores in ossa penè duritiem occalluerint: & quibus deniq; perpetuus articulorum cruciatus, diuturnusq; capitis dolor inheret, eozq; magis quo patiens junior extiterit, fortior & natura robustior. Huic illud succedere existimamus, quod medium obtinet locum: siquidem hoc & odoratius est, & acrius eo, quod nigrius ac crassius invenitur: neq; illud quidem abire, quandoquidem id minus est ætate confectum & majore humoris copia redundat. Quocirca commodissime hoc uti poterunt, qui natura delicatiores sunt, & temperamento imbecilliores, atq; etiam ii, in quorum artus hujusce luis furor nondum grassari cœperit. Postremo illud minus cæteris præstat, viribusq; infirmis habetur, quod nigrius, crassius & annosius reperitur. Namq; qualibet consenscens planta (quemadmodum etiam cunctis animalibus evenit) continuo exarescit, humidusq; privatur. Cujus rei certissimum est argumentum, quod in annosarum arborum truncis major appareat nigredo, quam in aliis vel junioribus, vel ætate tenellis: nigredo enim siccitatis indicium est, quin etiam deperditæ caloris innati & humidæ naturalis: id quod tam in plantis, quam in animalibus locum habet. Nihilò tamen secius illud diligenter animadvertendū est, quod Guajacum albicanti prorsus colore præditū, recens, incorruptumq; sit: quippe cum cæteris exilius sit, citius ac facilius exarescit, & ob humorum redundantiam velocius cariem sentit atq; fracescit. Quam ob causam satius quandoq; foret vetustiore recentior casu uti, quam juniore, quod multo antè tempore fuerit ab arbore decisum. Sunt quoq; recentiorum nonnulli, de quorum numero unus est Alphonsus Ferreus, qui de ligni guajaci decocto elegans admodum opusculum edidit, qui tantum guajacum illud præferunt, quod è plantarum ramis ætatis mediæ desumptum fuerit. Quorum opinio non planè refellenda videtur: nam quicunq; rem naturalibus expenderit rationibus, ramos antiquioris à caudice mediocri ætatis parum differre cognoscet: item ramos hujus à caudice junioris: quippe plus humoris ad se trahit ramorum auctrix facultas, quam caudicis. Idcirco non alia de causa plantæ rejuvenescunt, cum earum

Ebenum
quando
primum
Romæ.Anguill-
aria ar-
guitur.Ebenum
fossile A-
gricola.Ebeni vi-
res ex
Plinio.Ebeni vi-
res ex
Galeno.Guajaci
confider.
quod qui-
busdam
Ebenus.Guajaci
tria ge-
nera Ma-
nardo.Fallopius
notatur.Guajacū
lignum
præstan-
tius.Alphons.
Ferreus.

rami implantantur, serantur & propagantur, nisi quod illud idem humidum innatum intra se continent & eodem vigent temperamento, quo qui adolefcunt: etenim surculi atq; rami sunt caudici, perinde atq; filii & propterea animalibus atque tenellis non absimiles. Id, quod maxime confirmat Theophr. l. i. c. 12. de causis plantarum, ubi sic habet. Etenim quodq; germen quasi planta quadam in arbore, perinde ac in terra consistit. Atqui mihi longe magis iunioris caudici placeret usus: siquidem in hunc immediate à terra humor & alimentum defertur, ac praterea quoniam is fortasse nullum adhuc fructum protulerit: quandoquidem scetus à plantis, ut etiam ab animalibus, multum virium aufert. Præstantissimum itaq; lignum Guajacum illud erit, quod ex iuniori caudice recenter casum fuerit, tam exterius, quam interius albens, rarius carens, densum, ponderosum, minime cariosum, odoratum, gustui & acre, & subamarum. Caterum quoniam nostra atate æquæ cortices, atq; lignum in usum veniunt, eandem in iis rationem servandam censeo, ut quinam meliores præstantioresq; sint, dignosci possint, quam nos in eligendo optimo ligno in medium attulimus, ut scilicet illi eligantur & probatissimi habeantur, qui à præstantiori caudice detracti fuerint. Importatur Guajacum tam ex occidentaliibus, quam orientaliibus Indiis: nam & Hispani è suis regionibus noviter repertum, & Lusitani ex Calicut, Taprobana & Java insulis, & Mauritani, Aegyptii, Arabes ac Persæ à mari rubro per camelorum carovanas (ut ajunt) Guajacum ad nos convolvunt: quin & ex Aethiopia, ut quidam narrant. At cum omnibus compertum sit, ea in medicamentorum genere longe magis cetera præcellere, quæ ex orientali plaga comportantur, ob id omnino censendum fuerit, Hispanicum viribus esse imbecillius, quam quod ex Lusitania, vel Alexandria in Italiam importatur. Guajaci planta (ut n referunt, qui eam in sylvis se vidisse testantur) ad fraxini proceritatem, & ad hominis mediocrius habitus crassitudinem plerumq; assurgit. Folia feri quadantenus plantaginis amula, dura ac breviora. Flores ejus produntur lutei: fructus verò juglandis magnitudine, qui esu alvum subducit: cortex annosis niger, juvenibus verò subtilis. Porro si Guajaci vires ac qualitates rectè perpendantur, proculdubio liquido constabit, ea præstare posse, quæ in arcenda Gallica lue requiruntur: nam cum id ex partibus admodum calidis, ac tenuibus consistat, itemq; siccu, habeatq; sibi resina plurimum admixtum, nimirum etiam potest suis viribus ea efficaciter exicare, attenuare, liquefacere atq; expurgare, quæ humores infecerint: quinetiam sudorem citere. Huc accedit etiam, quod parte resinosa, quam possidet, contagioni atq; putredini mirifice resistit: quæ quidem incommoda hanc pestem comitari solent. Caterum eo tempore, quo primum in Italiam Guajacum inferri cepit, necnon etiam multis post annis, non sine summo timore dabatur potandum. Etenim ferebatur illi manifestum necn periculum imminere, qui rectam exquisiti victus rationem per panis & uræ passæ modicum non servasset, quiq; non persistisset in curatione ad quadragesimum diem usq; in tenebris inclusus, ita ut ne aeris quidem claritatem inspicere, nedum pedem è cubiculo efferret: in insuper carnium esu, & vini potu interdicitum erat, non secus atq; veneno. Verum enimvero cum sapius evenisset, ut ante constitutum tempus quidam ob tenuissimam victus rationem ita imbecilles ac viribus destituti conspicerentur, ut penè spiritus & vita deficerent, si ne in tam manifesto vitæ discrimine versarentur, a consanguineis & asidentibus persuasi, caporum, gallinarumq; jura, ac contusas carnes in cibum sumentes, tantum inde percipiebant juvamentum, ut vitam quasi deperditam recuperarent. Quo postea medici experimento edocti, vanam illorum doctrinam videntes, qui tam gravem ægri legem imponerent, paulò pleniori victu uti iusserunt, nempe juvenum gallinaceorum carnibus, ac majore panis portione. At nullum tamen adhuc ausus erat vinum exhibere. Quare à me sæpius animadversa, ego primus (infallor) inter Italos medicos rationibus non obscuris adductus tentare volui, posset ne vinum dari ex Guajaci maceratione in majori cum juvamento, qui Gallica lue correpti essent. Quod cum mihi infirigidu morbis feliciter cepisset, quam ex aqua tantum lignum decoquere, id potissimum me adduxit, ut hanc vini potandirationem ad commune omnium commodum literis, posteritatiq; memoria mandarem, id, quod feci pluribus jam annis elapsis: quo scilicet tempore Dialogus noster de morbo Gallico Bononia excusui prodit in lucem, ubi eodem anno Carolus Quintus invictissimus Imperator à Clemente septimo Pontifice maximo imperiali diademate feliciter est coronatus. Ex quo postea factum esse audiui, ut pleriq; medici ex illis nostris luculationibus, brevi temporis tractu plurimum laudis ac gloria sibi comparaverint, utpote qui vinum Guajaci ad suam præxim vertissent, prospero admodum successu. Licet fuerint, qui alii persuadere conati sint, suum illud esse inventum: qui ut rem facilius prætexerent, omnibus hujusmodi vini præparationem dissimulabant & occultabant: vel id facerent, ut rem ita plurimifacientes, inde majorem questum consequi possent. Sed cavendum profecto est à quibusdam impostoribus, qui cum sint carum rerum ignari, quæ ad medicæ facultatis contemplationem spectant, dum lignum, vel ejus cortices ex vino decoquant, cyclaminum, bryoniam, ptyusam, colocynthidem & turpetum admiscant, atq; alios mille catodemones, qui eos de medio tollant, quippe nulla habita temperamenti, ægritudinis, temporum anni, sexus, nec atatis ratione, singulis diebus hujusce decocti tepidi cyathum omnibus indifferenter præbent potandum. Quo fit, ut si forte quadam unum quandoque persanant, decem postea jugulent, tanquam improbi carnisces. Verum ut quisq; horum manibus evitare, atq; effugere possit, opera pretium visum est, vini Guajaci consiciendirationem subungere, ut subinde hauriendi modum addere, Sumito igitur ligni Guajaci præstantissimi lima in scobem tenuissimam attriti, aut tornatili instrumento minutim confisi libras quatuor: corticum ejusdem libras duas: cardui benedicti libram unam & semis: adiantibi, aspleni, florum utriusq; buglosi, caryophylli libram, cassia odorata drachmas sex: seminis anisi fescunciam: sacchari libras quinq;. Deinde conficiantur omnia in cado vinario mundo aptæ capacitatis, desuper affusus vini albi quam optimi & ferventis, libris centum & quinquaginta, mox diligenter vas operculetur, omniaq; sic macerari triduo dimittantur. Post triduum vero linteo percolentur, asserveturq; hujusce macerationis vinum in alio vase ad ægotantium potum. Siquidem bibit ut hoc tam in prandio quam in cæna, secundi Guajaci decocti loco: non mane, neq; vespere serapi vice, quemadmodum temere multi facere consueverunt. Hoc idem vinum longè etiam melius, & majore quantitate vindemiarum tempore confici potest, admixtis ligno, cortice, ceterisq; aliis recentibus viris albis in mustum compressis: ibiq; tandem dimissis, quousq; mustum effervesce desinat, & pellucidum clarumq; reddatur: veruntamen multiplicanda sunt omnia, quæ conveniunt medicamenta, pro utrarum quantitate. Præter hujus vini potum cibi associandum, bis in die mane scilicet, & vespere tribus aut quatuor horis, antea quam sumatur cibum, ægotantibus exhibeo decocti ligni ex aqua secundum communem Medicorum usum fenas uncias, admixtis uncias duabus liquoris hoc modo parandi. Sumito primum adiantibi, lupi salutaris, fumaria, aspleni, fena, singulorum manipulos tres, radicem centaurii magni, glycyrrhizæ, filiculæ, utriusq; buglosi, singularum uncias quatuor: seminis anisi, melanthii, florum sativi & erratici buglosi, omnium santalorum, cassia, quam cinnamomum vocant, singulorum drachmas quinq;. Hac ex aqua libris viginti quatuor decoquantur ad tertias, demum colentur. Sumito deinde præstantissima fena libras duas, conjicitoq; in vas fictile oris angustis, demum percolatum decoctum servens superimponito, ac inde obturato fictile ore pulvinari anserinus plumis facto, igniq; prius calefacto fictile involvito, & loco calido collocato, itaq; per diem ac noctem reponito. Postridie verò manibus fena premitur, mox dilu-

dum percolatur: cui adjiciuntur diluti rosarum efficaciter alvum subducentis libra sex. sacchari libra octo: effervescent de-
 inde simul subjecto igne, quousque tertia pars evanescat: quo facto additur electissimus Rhabarbari minutim concisi uncia, ac
 ita iterum fervent omnia, donec iulapii modo consistat liquor. Postremo percolatur linteolo, & vase vitreo reconditur. At si Vitis
ratio.
 egrotantes multa pituita redundant, decocto prescripto optimi turpeti uncia utiliter addi potest. Superest vitis ratio, quae
 egrotanti praescribenda est, scilicet ut tam in prandio, quam in cena edat panis ternas tantum uncias, sitque simulaceus ac
 probe in clibano coctus: item toridem carnis pullorum gallinaceorum, perdicum, attagenarum, turdorum ac avicularum in
 sylvis, vineis ac montibus vititantiis, assata potius quam elixata: quin & uvapassa modicum. Bibat autem oportet prescripti
 vini equam cum cibo mensuram. Quod si quis purum id bibere non posset, diluatur aqua, quae in phialis vitreis addita Gua-
 jaci uncia brevis temporis spatio effervuerit. Tempus autem huic curatori aptissimum profecto ver est Martio, Aprili &
 20 Mayo mensibus: quod si hoc tempore fieri non possit, fiat mense Septembri in autumno: nam sicuti aestivis ardoribus & exu-
 rente jam siccitate, non modo diuturna pharmaca, sed ne quidem brevia tollerant homines, ita nec brumali tempore, dum in-
 genti frigore saevit hyems. Interea agra sine metu noxa indulgere licet, modo celi serenitas adsit, ut quandoque in proximis
 hortis ac viridariis solatii causa lento gradu deambulent: quippe quoniam ejusmodi horum amoenitate animus pluri-
 mum levari solet. In hac etiam curandi ratione quosdam magis, alios minus perseverare oportet, pro morbi necessitate &
 salutis mensura. Hac ergo ratione vinum Guajaci exhibitum non modo medetur cuicunque, acerrimo Gallica pestu incommodo:
 sed etiam diuturnis articulorum, capitis, nervorum, ventriculi, jectioris, lienis, morbi pituita genitis mirifice succurrit.
 Nec minus etiam podagra laborantibus opem fert, modo diuturna admodum non fuerit agritudo. Porro in hoc illud etiam
 observandum est, quod ego Guajaci vinum is tantum potandum exhibeo, quibus pituita redundet: vel saltem non exu-
 peret bilis. Siquidem biliosis secundum ac tertium ligni ex aqua decoctum, vini loco semper cum cibo praebendum censui, ut
 30 communiter ab aliis fieri solet. Non desunt praeterea hoc tempore, qui radicem illam, quam alii CINAM, alii Chinam vo-
 cant, Guajaco praefert, et si Vesalius admirabilis humani corporis fabrica professor, oppositum senserit. Hujus radicis jam-
 dudum apud Hispanos invaluit usus contra podagras, maximeque, apud invictissimum Imperatorem Carolum V. cui merito
 praecellam laudem acceptam referre potest. Advenit haec (ut audio) tam a Lusitanis, quam ab Hispanis ex regionibus equi-
 noctiali proximis, legiturque, in littoribus maris & terra evulsa: nam in paludibus exorta ac inde maris fluctibus rapta, in lit-
 tus rejicitur. Radix est fungosa, perinde ac arundinacea, levis, colore rufescente. Rhodi radicis admodum amula. Praefertur
 recens, firma & quae neque teredinem neque cariem senserit. & quae magis rubescat. Damnat eam acriter Vesalius ut dixi: sed
 quibus validis rationibus id faciat, compertum satis non habeo, praesertim cum illud certo sciam, Casarem invictissimum nun-
 quam ea toties usum fuisse, nisi ex ea plurimum adjumenti percepisset. Caterum non minus China, & Guajaco praestat ea
 radix, quam Hispani ZARZAM PARILLAM vocant, quinimo hoc ego asserere possum, nonnullos a me esse curatos China
radicis
consider.
 30 CHINA. ZARZAPARILLA. Zarza
parilla
consider.



morbo Gallico affectos, qui Guajaci decocto pluries epoto, antea curari non potuerunt. Afferitur haec ab Hispanis ex occiden-
 tali India, sed plantam cum foliis hactenus videre non licuit. Sunt tamen rei plantaria studiosi, qui velint Zarzam Paril-
 lam Smilacis asperae esse radicem, in quorum opinionem ego facile concedo. Nam inter ceteros, qui ita esse affirmant, pri-
 mus fortasse in Italia fuit Lucas Gbinius medicus clarissimus, & rei plantaria peritissimus, qui se vidisse palam affirmabat
 apud Illustrissimum Florentiae Ducem Zarzaparillam integram plantam ex Hispania allatam, quae omnibus suis partibus
 ac notis, nihil ab aspera Smilace differbat: immo nil aliud hanc plantam esse censebat, quam genuinam Smilacem asperam.
 Id quod paulo post experimento deprehendit: siquidem erutus asperae Smilacis radicibus, earum decocto plures curavit mor-
 bo Gallico affectos. Hoc idem quoque, ab alio medico esse factum intelligo, & Roma, praesertim sub Paulo tertio Pontifice
 Maximo, a Gilberto Horsebino Flandro, Medico non vulgari, & rei plantaria studiosissimo, ut Libro tertio nostrarum
 Epistolae

Smilacis
asperae
radicis

Epistolarum, historiam hanc posteritatis memoria commendavit Joannes Hesseus Medicus Norimbergensis. Caterum non desunt alii, qui hanc opinionem impugnent, quod videant Zarza Parilla, & aspera smilacis radices facie non parum differre, cum haec nodosa, illa vero rugosa habeantur. Ego autem quid de re hac veri affirmare possim, sane non habeo, quod nusquam integram viderim Zarza Parilla plantam. Veruntamen cogor interim sequi Luca Ghini opinionem, quod is (ut ego sincere attestari possum) prater id, quod in censendis plantis, dum vixit, nemini secundus habebatur, sed quod candidus admodum fidelis & verax perpetuo fuerit. Nec admodum obstat radicum differentia, quandoquidem (ut Theophrastus est Auctor) loci a locis differunt, & saepe climatium, coeli, solis, varietate differunt cum forma, tum sapore & odore plantarum radices. Huic accedit nomenclaturae significatio: namq; Zarza parilla apud Hispanos nil aliud designat, quam Rubus viticulosus. Parra enim Hispanis vitis dicitur, Parilla viticula & Zarza rubus. Hetrusci quoq; Asperam smilacem, quod aculeos Rubi amulos habeat, Cervinum rubum appellant. Ea arbores etiam procerae ad summum usq; scandit: quo fit, ut Hedera aculeata pluribus dicatur. Quamobrem aut asperam smilacem Zarzam parillam esse dixerim, aut plantam illi viribus, & facie congenerem. Vix illi excaesciens & attenuans, & quae valenter sudorem provocat. Peculiariter autem praestat non solum ad Gallicum morbum curandum, sed ad quoscunq; articulorum dolores: quinetiam ad quascunq; cutis infectiones, ulcera contumacia, & Lichenas. Auxiliatur praterea iis, qui oedemate laborant, videturq; proprias habere facultates ad frigidos capitis, & cerebri affectus. Decoquantur hujusce radicis uncia quatuor, in libris quindecim aquae, in qua prius maceratae fuerint die & nocte una, ad medias, ac etiam diutius, ubi decoctum valentius desideretur: ubi autem deferbuerint, linteolo mundo colantur, & asservatur decoctum ad potandum. Dantur hujusce decocti quotidie agris tam mane quam vespere, horis quatuor ante cibum uncia octo, prius calefacti, & deinde sudant in lecto stragulis contexti horis duabus, in trigesimum, & quandoq; (ubi morbus contumax sit) in quadragesimum diem usq;. Est haec radix magis tenuium partium, quam China & Guajacum, ob idq; copiosorem provocat sudorem, & longe melius morbos, qui sunt in ambitu corporis, curat. Est tamen opera pretium decimo quoq; die bibentes purgare, aut catapotiis, aut potionibus ad morbum facientibus. Vixit ratio eadem instituitur, quae Guajaci decoctum sumentibus institui solet, nempe ex pane biscocto, & avis passis, quanquam quandoq; imbecillioribus gallinacei pulli, & avicula concedantur. Daturq; potandum cum cibis idem decoctum, pro affectuum voluntate. Quibus quoq; ubi serena quietaq; fuerit dies, conceditur, ut paulisper egrediantur. Caterum oportet, ut qui hoc medicamento uti volunt, ii prius praepurgati ad hanc curationem accedant. Sed de Zarza parilla haecenus. Jam ad Ebenum redeamus, atq; de nominibus agamus. Ejus nomen Graecum est *ἐβένος*, veluti & Latinum Ebenus: Arabicum, Abanus seu Avenus: Italicum, Ebano. Quod vero Latini Lignum Guajacum, Lignum sanctum, aut Lignum Indum vocant, Italis, Legno santo, Guajaco, & Guajacane appellatur: Germanis, Brankosenholz: Hispanis Legno santo, & Legno della antilbas: Gallis, saintbois.

Ebeni species. Ebenus duplex Dioscoridi, Aethiopica & Indica, hanc Theophrastus 4. hist. 5. agnovit & duplicem fecit: Brassavolus in tractatu de morbo gallico (ubi 234. morbi gallici species recenset) Ebeni plures facit species, rubram, albam, luteam, variegatam, de Guajaco intelligens, cum sint, qui velint Guajacum Ebenum esse. Guajaci nomen patrium est, Indi enim Guayacan vocant, nunc Guajacum, Guajacum & lignum Indum nominant: quod aliqui Buxi speciem faciunt: alii Ebenum statuunt: alii Ebeni speciem, quod facile concesserimus, propter laevorem similem ei qui est in cornu elaborato: propter spissitudinem materiae, propter ipsius gravitatem, quod in aquis statim subsideat & non fluitet, quae de Ebano praedicavit Plinius, & in Guajaco observatur: ob vires, cum Galenus Ebano vim extergentem cum caliditate ac partium tenuitate tribuat, quam sane & in Guajaco reperias. Est autem arbor (referente Monarde de simp. Indiae occidentalis) Illicis magnitudine ramosa, matrice magna nigricante, cortice crasso, pingui, a ligno sicco facile decedenti: foliis exiguis, duris: flore luteo: fructu rotundo solido, in quo semina velut in Mespile continentur. Ad nos vero advehuntur caudices crassi ab incolis in truncos ferra incisi, cujus diameter pedis longitudinem penè aequat ligno densissimo, in ambitu albo, vel potius flavescente, in medio nigro Ebeni forma resinoso, sapore non insuavi, subamaro: cortices crassi, cinerei, scabri, amariore ligno. Generatim, alterum de quo dictum, in insula S. Dominici frequens: alterum in insula S. Johannis de portu divite, postea repertum, superiori ferè simile, sed per omnia minus & penè sine matrice, superiore tamen odoratus & amarius, quod ab ipsis illi praepositum, & ob mirandas facultates, lignum sanctum dicitur, de quo videntur ad versaria nomine Palmae, aut Pali sancti Indiae occiduae, egisse: verum utriusq; in lue venerea insignes vires. Multae sunt Insulae in Oceano in quibus Guajacum nascitur, ut S. Benedicti, Hispaniola, S. Crucis, S. Dominici, S. Joannis de portu: egregius tamen in insula S. Joannis oriri existimatur: sed cum hoc ligno naves onustae in Hispaniam, Genuam, Venetias, afferantur, nec ratione loci dignosci possit, ex ipsius dotibus eligendum. Tertium genus in Orientalibus etiam repertum magnitudine Fraxini, foliis plantaginis brevibus, ac duris: floribus luteis, fructu juglandis magnitudine qui esu alvum subducit: cortice annosis nigro, juvenibus subrutilo. Usum primum ita narrant: Hispanum magnis doloribus ob luem veneream ab Inda muliere contractam, divexatum fuisse, cui servus ejus, in ea provincia medicinam faciens, decoctum ligni propinaverit, quo ipsum restituerit: cujus exemplo multi Hispani eadem lue infecti curati sint. Cura haec Hispani statim evulgata, & ab iis qui ex ea insula redierant per totam Hispaniam & universum orbem. Etsi referant Christophorum Columbum, cum viros & mulieres ex insula S. Dominici in Italiam duxisset, simul & luem, Buvam appellatam, ejus regionis familiarem attulisse, unde & remedium advectum. CHINA radix est tuberculosa crassa, arundini ferè similis, exterius rubens aut subnigricans, interius candicans aut subrubens, densa & ponderosa cum vegeta est, succo exuta fungosa & levis redditur, insipida: quae hederæ modo arbores cauliculis tenuibus raris scandit, suisq; sarmetis smilacis asperæ non ab similibus, foliis mali Assyrii similibus. In maritimis Chinae Indiae regionibus copiose proveniens (unde nomen) Lac. Lob. Lon. Cast. Lugd. Tab. cui & Schina: Chinna seu Cinna, Caesalp. Chinae radix, Cord. hist. dicitur. Haec duplex, alia in India Orientali, alia in India Occidentali, quae colore interius magis rufescente est. De hac Vesalius libellum conscripsit: multa habet Monardes, Garzias, Acofta (qui integram proposuit plantam) & alii. Usum hujus, non solum ad luem veneream, cum ea in regione frequens sit, sed etiam in sanandis morbis inveteratis, ut in Occidente per Sarfam & Lignum, Lusitani didicerunt ab Indis, apud quos praeter aliis remediis in pretio est. Modus exhibendi: Accipe radicem in taleolos tenues incisarum

incisarum unciam unam: Atque lib. duodecim, stent in olla obturata horis 24. dein lento igne absq; fumo ad medias coquantur: refrigerata coletur, vitro indita loco calido (sic enim diutius incorrupta perdurat) referuetur. Hujus aquae calidae unciae decem agro purgato exhibeantur mane, totidem octo horis à prandio in lecto & ad duas horas sudare debet: Victus observatur ut in decocti ligni exhibitione, solum potus variat, qui idem esse debet cum priori, cum duplex non pareatur ut ex ligno. Hic modus triginta diebus (nulla alia purgatione intermixta, cum largus sudor satisfaciatur) continuis observari debet, agro in conclavi remanente. Post id tempus, æger 40. diebus cibis boni fucci utetur, & vini loco sit aqua hoc pacto preparata: Sume radicis taleolos parvos decoctos in umbra exiccatos unciam unā, infunde per horas 24. in libr. 12. aquae, dein ut prius ad medias coquatur, & ad usum (singulis diebus decoctione parando) servetur. **SMILAX ASPERA** Peruviana C.B. Sarza parilla Cæs. ob similitudinem cum smilace aspera, quam Hispani Sarza parillam (quasi dicas Rubum viticulum) vocant. Zarza parilla, Lac. Dodo. Monna. Lugd. Salsa parilla, Lob. Tab. Salsa parilla, Lon. Smilax aspera in Zacynthi insula, quæ salsa parilla est, diversa à smilace aspera Italiae, Alpino. Duum est generum: altera radicibus tenuibus, colore albo ad fulvum vergente, in nova Hispania: altera crassioribus radicibus, ac magis fulvis aut subnigris, efficacior quæ in Hondura juxta flumen quoddam reperitur: de hac Monardes. Hujus usum, Hispani primum ex Peru in Europam, nunc à triginta circiter annis invexere. Variis modis & in lue venerea, & in frigidis capitis affectibus exhibetur, ut habet commentator, at vel folius radicis decoctum, vel ipsius pulverem, vel cum Guajaco & aliis mixtum. Simplicissimus modus hic: Accipe Sarzæ uncias octo, aquæ lib. 12. coquantur ad remanentiam librarum quatuor, adde sacchari libras quatuor. Hujus decocti exhibeantur, præmissis purgantibus, unciae tres mane & vesperi: vel pulvis tenuissimus ex pulpa dempto interno nervo drachmæ unius pondere, cum prædicta decoctione mane jejuno ventriculo & vesperi post cœnam, cum victu boni nutrimenti, & potu aquæ ejusdem, exhibetur: quidam pulverem cum vino exhibent. Vel hoc pacto: 82. sarzæ uncias duas, Guajaci uncias quatuor, jujubarum demptis ossibus, numero triginta sex, pruna passa demptis ossibus num. viginti quatuor: Florum borraginis, violarum, singularum unciam semis: Hordei mundi pugillum, aquæ libras duodecim: coquantur ad librarum octo absorptionem: cujus decocti exhibentur mane & vesperi unciae decem, addita syrupi violati uncia una.

Smilacis
asperæ
nomina.
Smilax
aspera
duplex.
Ufus.

P. 165.

ROSA.

CAP. CXII.

Rosa refrigerat, & astringit, sed sicca magis astringit. Succus recentibus foliis exprimitur, delectis fornice unguibus (sic appellantur candidæ foliorum partes) reliquum in pila premi, & teri debet in umbra, donec cogatur, & ita ad oculorum circumlitiones recondi. Siccantur etiamnum folia rosarum, continuo versata, ne muceant, neve sitis in iis insideat. Aridis rosis, & in vino decoctis expressus liquor, facit ad dolores capitis, aurium, oculorum, gingivarum, sedis, recti intestini, ac vulvæ penna illitus, aut infusus. Eadem sine expressione tusa, præcordiorum inflammationibus, humidis stomachi vitis, igni sacro illini prodest: siccis ac tritis semina asperguntur. Misceri solent vulnerariis antidotis, atque compositionibus, quas antheras vocant. Folio utuntur in calliblephara. Flos, qui in mediis rosis invenitur, siccatus, gingivarum fluxionibus efficaciter inspergitur. Capita pota citam alvum & cruentas rejectiones sistunt.

a Oribas.
non leg.
b Addit
Cat. xxi
v. 1.
& refri-
gerat.

40

P. 166.

ROSEI PASTILLI.

CAP. CXIII.

Pastilli, quos rhodides vocant, hac ratione conficiuntur. Rosarum viridium, quæ nullo antea humore madefactæ extabuerint, drachmæ quadraginta, Indicæ nardi drachmæ decem, myrrhæ drachmæ sex, tritæ digeruntur in pastillos, qui trium obolorum pondus æquent: siccanturque in umbra in fictili non picato, atque obturato reconduntur. Alii adjiciunt costi drachmas duas, iridis Illyrice totidem, & vinum Chium cum melle miscent. Mulieribus monilium vice collo circumdato usui sunt, ad retundendum grave sudoris virus. Tritus etiam utuntur ad illitiones, & diapasmata, quæ sunt ad sudores coercendos, ita ut à balneis inarescant corpora, dein frigida aqua abluantur.

Rosa adeo vulgaris est planta, ut superfluum omnino judicaverim ejus historiam à me describi debere. Est domestica & sylvestris. Domestica multa sunt genera, quæ in usum medicum veniunt. At vulgarissima in Italia trium sunt generum albicantes, puniceæ, & quæ ex alborufcunt, quas vulgo appellant incarnate. Præstantissima, quæ puniceo colore rubent: proxima lauiis, quæ in rusum candicant: vilissima albicantes, in quarum tamen genere ea odoratissima excipiuntur, quæ Hetruscis Damascena, & aliis Moschette vulgò dicuntur. Siquidem non modo ceteras excellunt, quod odore admodum suavi fragrant, sed quod etiam magis alvum subducant, id quod indicat earum jucundissimus odor. Urbana in hortis, viridarius, pomarius & vineis florent. Sylvestris in sepibus, senticosis, nemoribus & campestribus provenit. Rosa diversis partibus constat, quo fit, ut pro diversis tam internis quam externis particulis, diversum quoque temperamentum sibi ascribant. Primum itaque terrestribus & aqueis partibus, quæ tamen in ipsis mediocriter se habent, substantiam & astringentiam facultatem acceptas referunt. Ab æreis verò & subdulcem, & odoratum saporem assumunt. Ex his demum, quæ ignis naturam sequuntur, amarorem concipiunt, ac etiam coloris rubedinem, quæ scilicet rubicunda spectantur, quo fit, ut plus insit caloris puniceis, quam subrubentibus. In recentibus astringenti præstat amaritudo, in siccis vero minime: eaq; propter compertum est, earum deicienda alvi facultatem, quam priores Græci non animadvertunt, tantum ex amaritudine provenire, cum recentes alvum subducant, sicca verò nequaquam. Succus medicamentis componendis expetitur, præstantior è puniceis elicitur, item ex subrutilis, verum huic infirmior facultas. Dilutum Græcis ἀνίσχυρα, è quo rhodopharmacum alvum innoxie deiciens conficiunt, plerumq; ex subrubescens maceratis aqua foliis paratur: etsi hac in re iis Damascena Hetruscis vocata longè præstent: quippe ex earum vicinis devoratis foliis facile quidem, & citra noxam subducitur alvum. Rosarum succus reserat, discutit, abstergit,

Rosarum
consider.

Rosarum
succus &
dilutum.

64



Syrupus
rosa. so-
lutivus.

Manar-
dus ar-
guitur.
Damas-
cenae ve-
ter. notae.

Sylve-
stres ro-
sa.

Rosa lu-
tea.
Rosa
genera
ex Plin.

Partes in
rosa, ea-
rumq; vi-
res.

& deiecit: quapropter & bilem trahit, & sanguinem biliosum expurgat. Idem selle suffusus & ventriculi, jeciniorg, ob-
structionibus opem mirifice praeat. Cor item corroborat, ejusq; palpitatiom salutare est remedium: nam illos deiecit hu-
mores, qui cordi efficiunt. Facit & ad biliosas febres, cujusmodi sunt cujusvis generis tertianae. Adhuc rosarum dilutum,
ex quo conficitur rhodopharmacum, quod pharmacopola Syrupum rosarum solutivum appellant, in eorum medicamen-
torum genere recentiores medici recensent, quae quoniam absq; aliqua noxa, alvum subducant, suo more Benedicta nuncu-
pant. Albicantes deinde rosa (Damasceana tamen exceptas velim) non alium in medicina sibi vendicant usum, quam ut
ex se aquam stillent: siquidem is deiectionis vis, quae pollent punicea ac subrutile, multo infirmior inest. Quamobrem videtur
Manardus Ferrariensis, vir aliqui doctissimus, immerito id Mesui vitio vertisse. Nam alba, quae Damasceana appella-
mus, etsi majore deiectionis vi ceteris praesent, credeudum tamen est, de his non intellexisse Mesuem: quod eas illi facile in-
cognitas fuisse existimem, verum de his albis tantum, quibus passim rosae florent. Cujus rei illud maximo argumento esse
potest, quod Damasceana Hetrusci vocata nuper in Italia florere coeperint, quodq; eas veteribus cognitae fuisse (quod sci-
am) memoria prodiderit nemo: nisi fortasse eas credimus esse, quae Plinio spineola appellantur. Sane rosa magnificanda
sunt, summoq; in pretio habenda, non modo quod viridarii, & hortu sint ornamento ac aspectu perquam jucundo: sed et-
iam quod in praeclarissimis medicamentis convenient, quibus humana vita succurritur. Sylvestres majore adstringendi fa-
cultate sunt praeditae, quam sativae, sed minori fragrantia redolent, atq; deiectionis alvi ne tantillum quidem facultatem re-
tinent. Idcirco Theophrastus lib. 8. cap. 6. de historia plantarum: Sylvestres, inquit, rosa domesticis asperiores tum virgula,
tum foliis constant: florem praeterea ferunt, quo ab illis odore, colore atq; magnitudine superantur: haec Theophrastus.
Ceterum quadam etiam rosa nascuntur in Italia, quae aureo colore fulgent, sed odore sunt admodum ingrato, atq; insua-
vi. Rosarum differentias longa historia prosequitur Plinius lib. 21. cap. 4. ubi sic inquit. Contra rosa genera nostri fecere
celeberrima, Praenestina & Campana. Addidere alii Miliesiam, cujus sit ardentissimus color, non excedentis duodena
folia. Proximam ei Trachiniam, minus rubentem. Mox Alabandicam viliores, albicantibus foliis. Utilissimam vero
plurimis, sed minutissimis spineolam. Differunt enim multitudine foliorum, asperitate, lavore, colore, odore. Paucissima
quina folia, ac deinde numerosiora. Cum sit genus ejus, quam centifoliam vocant, quae est in Campania Italia, Graeciae
vero circa Philippos, sed ibi non sua terra proventu. Pangaeus namq; mons in vicino fert, numerosis foliis ac parvis: inde
accolae transferentes conferunt, ipsaq; plantatione proficiunt, non autem talis odoratissima est, nec cui latissimum maxi-
mumq; folium: breviterq; indicium est odoris scabritia corticis: Cyrenis odoratissima est, ideoq; ibi unguentum pulcherri-
mum. Carthagine Hispaniae hyeme tota praecox. Refert & calis temperies: quibusdam enim annis minus odorata provenit.
Praeterea loci siccus, quam humidus, omnis est odoratior. Seri nec pinguibus vult, nec argillosis locis, nec rignis, contenta va-
riis, propriisq; ruderatim agrum amat. Praecox campana, sera Miliesia, novissime tamen desinit Praenestina. Rosa ex spina
nascitur. Germinat primo inclusa granoso cortice, quo mox intumescit, & in virides alabastrum fastigiato, paulatim ru-
bescentis debescit, ac sese pandit, in calicis medio sui stantis complexa luteos apices: haec tenus Plinius. Partes in Rosa sex an-
tiqui adnotarunt, quae omnes sunt & scitu dignae, & in medicina utiles, etsi pauci habeantur seplasiarii, qui separatim eas
reponant. Primum quidem duae partes inveniuntur in foliis: quarum altera est, ubi calyci folia inseruntur, unguisum mo-
do albicans, ob idq; rosarum ungues haec extremitates appellantur: altera vero foliorum reliquum. His alia duae succedunt,
in iis flosculis qui veluti minuta seminata tenuissimis capillis annexa flavescent in rosarum umbilico: horum enim partem
faciunt granula, partem vero capilli. Postremo quae reliqua sunt, in ipso Rosarum alabaistro continentur: una scilicet in
cacumine, altera in fundo. Folia cor, ventriculum, jecur & retertricem insuper facultatem corroborant: dolores ex cali-
ditate

- ditate provenientes leniant, & inflammationes auferunt. Ungues etsi propriam a scriptoribus non receperint dotem, inferuntur tamen utiliter lotionibus omnibus & clysteribus, ad inhibendas fluxiones. Flosculi medii cum suis capillis gingivarum defluxiones cohibent, quinetiam, auctore Plinio, alba seminarum profluvia mirifice inhibent. Calyx deniq., quem caput etiam aliqui dicunt, cum reliqua parte basis, alvi fluores, & cruentas excreationes sistit. Ceterum prater has, quae in florentibus rosis consistunt, tres etiamnum in fructu comperiuntur partes, ubi rubescit is, & maturitatem sensit, videlicet substantia carnis, semen & lanugo conclusa: quibus non obscura inest adstringendi vis. Idcirco & ipsa remedio sunt contra alvi fluores, & seminarum abundantiam qualemcumq.; item contra gonorrhoeam, in qua praecipue pollent: & praesertim sylvestrium. Namq. harum fructus una cum seminibus prius siccant & in pulverem triti, utiliter seminis profluvio affectus dantur drachma pondere ex vino austero. Sunt, qui flosculos capillis appensos, qui vero alabastrum, Quorundam lapideus alabastrum plus de anthera.
- 10 antheram esse existiment. Sed revera hac in re plane hallucinantur: etenim anthera Celso, Gal. & Paulo nusquam simplex est medicamentum, sed quadam ex pluribus rebus compositio, cuius frequens erat usus apud antiquos ad oris ulcera: item ad pedum rimas, digitorumq. prurigia. Cuius etiam parandae rationem adnotatam reliquit Galenus lib. 6. de comp. medicamentorum secundum locos, de oris ulceribus differens. Ex rosis vi ignis fit aqua, pluribus ac diversis instrumentis: Aqua rosarum praeparatur. verum tamen ea ceteris praestantior, ac odore fragantior habetur, quae per balneum calentis aquae vitreus organus elicitur, cuiusmodi & alia sunt, quae eodem modo ad universum medicinae usum confici solent. Quandoquidem inter has & illas, quae plumbeis instrumentis lignorum vel carbonum igne extrahuntur, tanta deprehenditur differentia, quanta inter plumbum & aurum deprehendi potest. Quippe quae sunt in balneo calentis aquae vitreus rostratis organus, ab herbis & floribus, a quibus manant, nec sapore nec odore dissentiunt, adeo ut non solum proprias plantarum qualitates secum referant, sed ne etiam tancillum quidem tum sumi, tum rei adusta respiciant. Quod quidem in his non invenias, quae vulgo plumbeis & aereis instrumentis eliciuntur: his enim nunquam, vel rarissime gustaveris, quin tibi sumidum virus, nidoremq. reddant. Quares non modo aegri ingentem molestiam afferunt, & nauseam plerumq. movent, sed & plurimum noxae peccant, ventriculo, jecuri, visceribusq. omnibus inferunt: quod a metallicis organis, a quibus distillant, malam eorum qualitatem sibi vendicent, ut libro tertio in absinthii commentatione, annuente Deo, latius explicabimus. Quare hac arte perspecta, doctissimi ac peritissimi medici veteres secuti, decoctis ac dilutis tantum uti ceperunt. Quae tamen si viribus aequas qualescunq. sublimatas (ita enim stillatitias vocant) praecellant, ea tamen, quae calenti aquae fervore (ut supra diximus) sunt, cum proprios tum odores, tum sapes herbarum ac florum, a quibus extrahuntur, secum trahant, jure quidem decoctis non modo ipsas aequipollere, sed etiam praestare crediderim: non tamen, quod viribus praecellere dixerim, sed quod gustui suaves, & visui jucundiores habeantur, quod non parum solatiis egrotantibus affert. Nos quidem aliis aquis non utimur quam his, ad quas eliciendas nobis organum affabre paravi fecimus, cuius ope basce stillatitias ac praestantissimas aquas suo tempore conficimus, quarum alia sapore constant amaro, alia vero acri, alia austero, alia acido, alia deniq. insipido pro variis simplicium medicamentorum qualitatibus, a quibus eliciuntur. Quapropter seplasiarii & medici, quos magis decet humanam charitatem colere, quam aurum & argentum, dem operam, ut jam plumbea & aerea organa aboleantur, & balnea, de quibus diximus, in eorum locum succedant: quippe in hoc etiam (quamvis plus laboris, minus vero emolumenti suscipiant) & Deo & hominibus simul rem gratam facere poterunt. Ceterum Euchsii Euchsii opinio non probata. in libro de compositione medicamentorum, quem nuper edidit, unice cavendum praecipit in succu stillatitii eliciendis, ne ejus vasculi fundum, in quo stirpes continentur, aquam in cacabo bullientem attingat, sed solo vapore ab ea elevato incalcescat. Quia in re secutus potius videtur fuisse Manardum, virum de arte medica praeclare meritum, qui ita scriptum reliquit in suis epistolis, quam rei experimentum. Verum ipse non possum omnino eorum sententia subscribere, ut qui iudicem non esse semper ea exquisita ratione procedendum in herbis distillandis, quod certo sciam nihil referre, quando etiam vasculum herbas recipiens in aquam in majore vaso bullientem immergatur. Nam etsi aqua, quae illi volunt ex herbis vapore tantum ab aqua bulliente elevato extrahi, ceteris praestantiores habeantur: tamen quae ex herbis eliciuntur vasculo impositis, quod aqua bulliens circumluat, parum certe aut fere nihil illius bonitate cedunt: quod mihi compertum est in his aquis, quas saepissime libuit utroq. modo elicere & experiri. Attramen aliquis illud discrimen esse dicet, quod illo modo aquae ex herbis extrahantur, quae tenuiores partes retinent, quod vaporis illius caliditas imbecillior sit, quam ut possit totam herbae substantiam conficere: hoc autem modo aquae eliciantur, quae omnes herbarum partes secum referunt. Haec sane differentia, quae facile concedi potest, non est, meo iudicio, tanti momenti, ut illa regula perpetuo sit observanda, haec vero vitanda: quin potius facit, ut haec mihi videatur probanda, illa vero rejicienda tanquam cautio nimis religiosa. Rosarum vires collegit Galenus lib. 7. simplicium medicamentorum, sic inquit. Rosarum vis, ut & facultas superioribus libris pluribus verbis exposita est, nempe quod ex aquea substantia calida mista duabus aliis qualitatibus, ex Gal.
- 50 adstringenti videlicet & amara, composita sit: quin etiam cuius sit natura utraq., amara scilicet & adstringens, in horum commentariorum quarto declaravimus. Flos earum magis etiam ipsis rosis adstringit, ac proinde sane etiam exsiccativus est. Rosa, quam ita Latini vocant, Graeci *ῥόδον* dicitur: Arabibus, *Nard*, *Naron* seu *Vard*: Itali *Rosa*: Germanis *Rosen*: Hispanis *Rosas*: Gallis *Rose*: Bohemis *Ruoze*.

- Rosa *ῥόδον* Graecis *ῥοδι* seu *ῥοδι* dicitur, quod ingentem odoris fluxum emittat, Plutarchus auctore. Cuius differentiae permultae Theoph. 6. hist. 6. foliorum multitudine, paucitate, asperitate, laevitate stirpis, colore & odore variantes. Dividimus in sativam & sylvestrem. Sativa est purpurea, quae incarnata Rosa duplex. Italica, Alabandica Plinii similis Dodonaeo: Trachinica Plinii, quam minus rubentem dicit, credimus. II. Est alba, quae spineola Plinii Dodonaeo: malim Campana dicere, nisi sit Alabandica, quam viliorē albicantibus.
- 60 foliis scribit. III. Rubra saturati coloris, provincialis Gallis, Milesia Plinii videtur, Holofericea Lobelo: haec flore est simplici & multiplici. IV. Flore non ita saturate rubente, Franche Gallis, Damascena Lobeli: Praenestina Plin. forte: & haec vel simplici, vel multiplici flore est. V. Moschata ab odore, Nesrim Serapion: alia simplici, & quidem vel minore, vel majore flore: alia pleno flore est. VI. Spinis carens, quae vel major vel minor. VII. Folio est crispo, floribus incarnatae similibus. Sylvestris aliquot etiam differentiae. I. Vulgaris cui spongiola Bedeguar adnascitur: Cynorrhodon, Barbaro: Cynosbaros, Brunf. Rosa sylvestris prima, Trag. Dod. Canina rosa odorata & sylvestris, Lob. hanc & glabro, & hirsuto folio circa Montembelgardum passim, fratre Joh. Bauhin. ostendente, observavimus. Haec flore est simplici & pleno, ut & II. quae Cinamomea dicitur. III. Lutea, quae veteribus indicta videtur quae simplici flore rarissime pleno. IV. Pimpinula, a similitudine foliorum Pimpinellae. V. Odoratis foliis, Elglanterium vulgo & spina Maris. VI. Campestris

stris humilis vel avenacea, albo est flore: est & rubello: VII. Pomifera. VIII. Rotundifolia: hæc purpureæ similis, sed rotundo quasi folio.

Λύκειον.

LYCIUM.

CAP. CXIIII.

α Oribas.
non le-
git.
β Addit
necū mē-
σαι θέρμει
ν. ψυχρῶς.
i. mediu
in calidi-
tate & fri-
giditate.
γ πλάγι-
ως. i. latus
leg. Orib.
δ Meum
χρῆσις τῆς
δὲ τῶν
φύλων σῶ-
σις. γὰρ
μεν οὐ λα-
βοῦνται. i.
Elicitur
succus
foliis unā
cum fru-
tice tuis.
ε καπνὸν.
i. fumū
legit O-
rib.
ζ Meum
πικρὸν. i.
fulvum.

Lycium, α [quod aliqui pyracantham vocant,] arbor est spinosa, ramistrum cubitorum, aut longio-
ribus, foliis buxi, densis: β fructu piperis, nigro, laevi, amaro, densoq;: cortice pallido, non dissimili
lycio madafacto: radicibus γ [multis, obliquis,] lignosis. Nascitur plurimum in Cappadocia, Lycia, &
plerisque aliis locis: aspera loca amat. Succus extrahendi ratio hæc est. δ Rami cum radiculis tuis, & antè
per multos dies macerati coquuntur, tum abjectis lignis, itidem liquor coquitur, donec mellis crassitu-
do fiat. Adulteratur id lycium, adjecta decoctioni amurca, aut ablinthii succo, aut felle bubulo. Inna-
tans spuma inter coquendum exempta, oculorum medicamentis additur: reliquo ad alia utuntur. Simi-
li modo fit lycium semine expresso & insolato. Optimum, quod uri potest, restinctumq; rubetem ε [spu-
mam] ostendit, glebis intrinsecus nigris, intus, cum fregeris, f rufis, odore minimè viroso, cum ama-
ritudine astringens, crocino colore: cuiusmodi Indicum est, cæteris præstans & efficacius. Lycium ad-
stringit, caliginem oculorum discutit: genarum scabiem, pruritus, veteresq; fluxiones sanat: facit ad pu-
rulentas aures, exulceratas gingivas, tonsillas, labiorum fissuras, sedis rimas, attritusq; illitum: coeliacis,
dysentericis potum, inditumq; convenit: datur sanguinem excreantibus & tussi ex aqua: contra rabio-
si canis morsus in catapotio devoratur, aut in aqua bibitur: flavos facit pilos: reduciis, ulceribus, quæ ser-
punt, aut putrent, medetur: foeminarum profluvia appositum sistit: rabiosorum ictibus ex melle potum,
aut vice catapotii devoratum, auxiliatur. Tradunt Indicum fieri Lycium, ex frutice lonchitide appella-
to. Ea spinarum generi ascribitur, ramos rectos habens ternum cubitorum longitudine, majoresve, rubo
crassiores, à radice numerosos: fractus cortex rubescit: folia oleæ similia. Herba in aceto decocta pro-
ditur lienis inflammationibus, & regio morbo mederi, & foeminarum purgationes elicere. Asseverant
etiam crudam in potu, eosdem effectus præstare: semen cyatho dimidio potum, pituitam expurgare, ve-
nenis quoque auxilio esse.

I. LYCIUM.

II. LYCIUM ITALICUM.



Lycii cō-
sideratio.

Lycium
adulteri-
um.

Lycium medicamentum, quo hodie officina passim utuntur, nimirum notū illi plurimum reclamat, quod nobis hic
reddidit Dioscorides. Siquidem illud officinarum igni admotum non accenditur, nec intus rufescit, nec ullam gustan-
tibus assert amritudinem: quæ omnia certo sunt indicio, id omnino imposturū, & adulterius non vacare. Tradidere qui-
dam hoc ab impostoribus fieri à ligustri fructu, alij id tribuunt periclymeni baccis, alij sanguineæ virgæ corymbis, alij porro
ex his omnibus simul confusis elici produnt, ac inde insolari. At legitimum, & quod syncerum sit, quoquomodo se res illa
habeat, compertum est, hoc avo ex Lycia, unde illi nomen, ad nos non importari. Lycij plantam cujus hic imaginem damus
appictam m'hi misit Baptista Balistius Dalmata, Myropola, & rei plantaria studiosus, sed revera planta ipsa viva à me
nusquam visa est. Ceterum quanquam censet vitiligator quidam, hanc fictitiā potius quam veram esse Lycij plantam,
nos tamen cum Lycij historiam omnibus sepe notis illam representare videamus, eam ex Commentariis nostris eruncandam
non duximus, quousq; alius compareat, qui ex Lycia & Cappadocia, ubi nasci Lycium scribit Dioscorides, veriorē Ly-
cij plan-

et plantam ad nos afferat. Habetur quoque alia quadam planta, qua non parum Lycio emulatur. Hanc primum Verona ad me misit Franciscus Calzolari rei plantariae admodum studiosus, cuius hic imaginem damus, ut de ea quoque aliorum sit iudicium. Lycium Italicum, planta est aculeata, pruni sylvestris faciem referens, minoribus tamen foliis. Flores mittit candidos, e quibus bacca gignuntur, lignistri fere similes, sapore acerbo atque adstringenti, e quibus succus exprimitur. Nascitur copiosum in agro Tridentino circa arcem de Gresta, saxosus locus. Adstringit, cohibet, roborat, siccatur & reprimat, & ubi legitimum Lycium non sit ad manus, nihil prohibet, quin hoc eius vice succedere valeat: succus e bacca a me extractus, haec omnia belle praestat. Quinam praeterea aculeatus ille sit frutex Lonchitis appellatur, e quo Indicum parari Lycium scribit Dioscorides, haec mihi non constat. Lycii vices Dioscoridi explet amurca in cupreo vase decocta, aut etiam rhus decoctus quousque ejus liquamentum mellis crassitudinem acquirat. Lycii meminit Galenus lib. 7. simplicium medicamentorum, sic inquit: Lycion sive pyxacanthos, arbor spinosa, ex qua Lycium, quod vocant, conficitur: id videlicet medicamentum liquidum, quo ad sugillata utuntur, & sedis oris, phlegmonas ulcerationesque, tum herpes, putredines & ulcera contumacia, & aures purulentas, & intertrigines ac paronychias. Est autem facultatis exiccatoria, compositum ex diversis generis substantiis, quas ἱερογυῶντες Graeci vocant: altera quidem tenuium partium digerente atque calida: altera terrestri & frigida, ex qua adstrictionem obtinet. Porro haec qualitas pusilla medicamento ineat digerit verò & desiccatur non parum, nempe in secundo recessu, in calore autem medius & symmetricus proximus est. Proinde ad diversos affectus hoc utuntur medicamine, ut abstergente quidem ad ea, quae pupillas obtenebrant: ut contrahente verò colicis, dysentericis, ac muliebri profluvio adhibentes. Lycium hoc in Lycia & Cappadocia plurimum provenit: alterum vero Indicum ad omnia valentius est. Et primo de antidotis, non facile adulterinum Lycium a legitimo dignosci idem memoria prodidit: haec Galenus. Caterum

Lycii vires ex Galeno.

III. BUXUS.



quoniam Pyxacantha, quo nomine Lycium ab aliquibus appellatur, mihi Buxum, quae Graeci βύξος dicitur, in memoriam redegit, non omittendum duximus, quin de ea etiam aliquid dicamus. BUXUS itaque nobis notissima est planta, quod plurima in Italia proveniat, folio myrti minore, densiore, crassiore, viridior ac subrotundior: vivet perpetua coma, eaque propter topiario operi accommodatissima: flore herbaceo, fructu ruti simili, quadruplici, apice in cacumine diviso, ciceris magnitudine, semine rufescente, omnibus animantibus, triviso. Crassissima in Corsica, flore non ferendo: quae causa amaritudinis mellis. Frigidus gaudet & apricus. Materies buxo honorata, raro crispanti, nec nisi radice: cetero lenis quies materia, silentio quodam, & duritie ac pallore commendabilis. Eadem spississima, flava & densissima atque ponderosissima, adeo ut in aqua non fluitet, nec cariem sentiat. Extorcat manifeste, sed in calore non longe a medio abest, adstringit quoque, & roborat. Haec et si (ut quidam putant) nullus sit in medicina usus, & ob id a Dioscoride esse praetermissam, nos tamen compertum habemus capillos rufos fieri, ubi frequenter laventur lixivio in quo decocta fuerint folia & rami. Sunt etiam qui dicant ligni scobe hausta, sanari alvi profluvia. Non desunt etiam recentioribus, qui velint non aliud esse Italicum buxum, quam Indicum lignum, quod Guajacum appellant: ea tantum ratione ducti, quod pluries experimento compertum sit, ejus decocto etiam jam feliciter eos sanatos esse, qui Gallica lue affecterant. Quod et si experientia concedi possit, illud buxi lignum praestare: attamen quod buxus in Italia nascens, & Guajacum ab Indis petitum, una & eadem sint planta (ut in secunda centuria Amathus Lusitanus asserere videtur) nunquam profecto crediderim. Sed delirant qui unam & eandem faciunt arborem. Siquidem Guajacum pingue, resinofumque, visitur: materies in-

Buxi consideratione.

Quorundam opinio reprobata, qui Buxum Guajacum censent.

Contra Amathum.

30 tus nigra ebeni fere modo: quin & sapor huic amarior & acris, quibus omnibus notis ficcum buxi materiem carere constat. Quinetiam Guajaco (ut narrant ii, qui ab Indis ad nos redeunt) folia insunt plantaginis, breviora, crassiora duriora quoque: lutei flores & fructus juglandis magnitudine. Buxus vero folia fert myrti, breviora: flores herbaceos, & fructum myrto nusquam grandiorum. Quo fit, ut omnino existimem eos hallucinari, qui putant buxum quae in Italia nascitur, idem esse cum Indico guajaco, ut nuper sensisse videtur Lusitanus loco ante dicto. Sed quam ab eo sejunxerim, ne dicam imprudenter actum sit de simpl. medi. cognitione, eorum facile iudicium futurum spero, qui non mediocriter in re herbaria versati fuerint, & buxuscripta legent: atque etiam legere non gravabuntur Apologiam, quam nos adversus illum scripsimus, cui plurima errata atteximus, quae in ejusdem in Dioscoridem enarrationes adnotavimus. Quoniam autem buxo cum materie, tum quoque baccarum facie quadantenus ea arbor similis spectetur, quam nos in Tuscia vulgari idiomate vocamus Silio: alii verò Fusaro, quod ex ea optimi fusi fiant, quibus mulieres lino stamina ducunt, nos verò Euonymum eam esse putamus, pratermittendum sane non duximus, quin de ea hic scriberemus. EUONYMUS itaque Theophrast. libro tertio, cap. ult. de plantarum historia, arbor est mali punice magnitudine, atque folio ejusdem, majori quam chamadaphne, molli, ut punica. Germinare mense Septembri incipit: flores vere: flos colore alba viola similis, odore infestus, velut cruorem inferens. Fructus cum putamine siliqua sesama proximus, praterquam quod in versus dividitur quaternos. Hic pecus enecat gustatus, quinetiam folium idem facit, & potissimum capras, nisi purgentur, interimit: purgantur autem Anobis: haec ille. Quae quidem si quis cum Silio nostro conferat, eam Euonymum esse facile conjiciet. Id enim ut credam, non solum hujusce plantae nota me adducunt, sed quod sciam, arbusculam nobis Silio vocatam, pecoribus esse adversissimam, quinetiam quod graviter oleat. Lixivium in quo bacca decocta fuerint (ut nostra referunt mulieres) capillum splendidum facit, surculos extergit, & pediculos necat. Materies est Buxi modo pallida, verum non adeo gravi ac solida. Nascitur frequens in Italia in sepibus, dumetis & sylvis. Errat toto caelo Tragus, qui hanc plantam Theophrasti βύξιν esse contendit.

Euonymi consideratio.

Tragus arguitur.

P Lycium

Nomina.

IV. EUONYMUS.

Lycium
officina-
rum.Euony-
mi diffe-
rentia.

IV. Euonymus, id est, boni nominis, per antiphrasin, unde quædam exemplaria habent Anonymos ut & apud Plinium: duplex est, angustifolia & latifolia: angustifolia, alia granis rubeis vulgaris, quæ aliquando & albis variat: alia nigris quæ Pannonica. Euonymus vulgaris granis rubris C. B. dicitur Fusanus Crescentio, quod ex eo fusi fiant. Carpinus Theophrasti, Trag. Lon. Anonymos, quæ alias Evonymos, Cord. hist. Euonymus Theophrasti, Dod. gal. Thal. Gef. hor. Lob. Tab. Cast. Tetragonia (quadratoria Gaza vertit) Theophrasti Lugd. Siler Plinii, Cæsalpino.

A'acacia.

ACACIA.

CAP. CXV.

a Meum
& Catac.
b Meum
c Meum
d Orib.
e Meum
f Orib.
g Meum
h Orib.
i Meum
j Orib.

Acacia in Ægypto nascitur, spina instar arboris, fruticosa, non se in rectum attollens. Florem habet candidum, & b semen lupino simile in folliculis: ex quo, c succus expressus sicatur d in umbra, niger ex maturo semine, subrufus ex viridi. Eligatur modice rufus & odoratus, ut in hac arbore esse potest. Aliqui exprimunt ex foliis & semine succum: Manat & gummi ex ea spina. Vis ei ad spissandum refrigerandumq; efficax. Succus oculorum medicamentis utilis: valet ad ignem sacrum, ulcera quæ serpunt, perniones, pterygia & oris ulcera: procidentes oculos reprimat: mensium abundantiam sistit: prociduam vulvam cohibet: citam alvum suppressit, aut potius aut subter inditus: capillos denigrat. Lavatur oculorum medicamentis, trito in aqua, mox effuso, quod concreverat, donec pura extet aqua, & ita cogitur in pastillos. Uritur etiam in cruda fidelia, donec fictile fornacibus percoquatur: torreturque in carbonum halitu perflata. Spinæ decoctum solutos artus fotu committit. Præfertur ejus spinæ gummi, quod in vermiculorum speciem contrahatur, & vitri modo perluceat, ligni expers: proximum est candidum: sordidum verò ac resinofum inutile. Cutis meatus obstruit, & medicamentorum, quibus admiscetur, acrimoniam hebetat: ambustis ex ovo illitum, pustulas non patitur erumpere. Alterum Acaciæ genus in Cappadocia, Pontoque provenit, Ægyptiæ spinæ similitudine, [longe minus, tenerius, humile: aculeorum vallo munitur, folia habens rutæ, semen lenticula minus fert autumnis, in loculis connexis, ternum quaternumve capacibus. Succus ejus astringit,] viribus inferior & ocularibus medicamentis inutilis.

Hæc non
leg. Orib.Acaciæ
hist. ex
Theoph.

Arbor, quæ Dioscoridi Acacia vocatur, Theophrasto Spina simpliciter dicitur libr. 4. cap. 3. de plant. hist. ubi de ea ita scriptum reliquit: Spina ex eo nomen accepit, quod tota arbor aculeis horret, excepto caudice: nam & super germina foliaq; aculeos gerit. Magnitudine excellit, materies quippe duodenorum cubitorum tectis idonea cadit. Ejus duo genera sunt, quædam enim candida, quadam nigra: & altera imbecillis, facileq; putrescens: nigra autem robustior atq; incorrupta. ob id in navium fabrica ad costas, ventrisq; compagine ea utuntur. Erecta non valde assurgit. Fructum fert in filiqua, leguminum modo, quo incolæ coria perficiunt vice gallæ. Flos & pulcher aspectu, ut coronas ex eo facerent: & medicamentis perutilis, quæ de causa colligi à medicis solet. Fit & gummi ex ea: manat hoc tum arbore percussa, tum sponte sine ulla plaga: cum autem cascaverit, anno tertio protinus resurgit. Copia hujus arboris largè habetur, & sylva ingens circa agrum Thebanum est, ubi & robur & persea, & olea quog; eo loco emigrat, non aquis fluvii riguo (distat enim plus, quàm trecentis stadiis) sed suis fontibus, qui circa eum tractum permulti exiliunt. Materies arboris dura & cascæ colorem celtis utiq; repræsentat: hæc tamen Theophrastus. A quo Plinius non dissentiens, ipse quog; ejus historiam memoria

I. ACACIA ÆGYPTIACA.

II. ACACIA.



III. ARBOR JUDÆ.



memoria prodidit libr. xxiii. cap. xii. cuius sic verba sonant. Est & acacia spina. Fit in Aegypto alba, nigraq; arbore, item viridi, sed longe melior è prioribus. Fit & in Galatia tenerrima, spinosior arbore. Semen omnium lenticula simile minore est tamen & grano, & folliculo. Colligitur autumnò, quoniam ante collectum nimio validius. Spissatur succus ex folliculis aqua celesti perfusus, mox in pila tuis: exprimitur organo, tum densatur in sole mortariis in pastillos acacia dicta, arboris videlicet sue nomine. Fit & ex foliis per se minus efficax. Ad coria perficienda semine pro galla utantur. Foliorum succus, & Galatiaca acacia nigerrimus improbat: item qui valde rufus est: hac Plinius. Succus è recenti semine expressus, ac postea longa insolatione concretus Græcis nomine sua arboris Acacia nuncupatur. In cuius defectu supponunt tum officina, tum medicorum vulgus succum è sylvestribus prunis expressum in tenues quasdam placentulas in sole densatum: siquidem legitima acacia ad nos non affertur. Ubi acacia defecerit, licet (si Dioscoridi credimus) ejus vice tum rhoris arbuscula folia, tum lentisci foliorum succu, tum etiam hypocythidem medicamentis immiscere. Quamobrem his potius seplasiarii uti deberent, quam suppositio sylvestriū prunorum succo. Acacia imaginem, quam hic appingi curavimus, detulit ad me Constantinopoli Clarissimus Augerius de Busbeke Flander, Cæsareus orator ad Turcarum Imperatorem, quæ omnibus suis partibus, notisq; veram legitimamq; Theophrasti & Plinii acaciam imitatur. Nam planta integra imago, cujus unum tantum ramum appinximus, caudicem habet non in rectum, sed in obliquum se attollentē, nigro omnino libro, ramos, surculosq; ubiq; spinis rigentes. Foliis est rotundis, pyri magnitudine, venosis, parte prona fuliginosis, supina verò ex viridi subalbicantibus, minimè serratis, subnigricante pediculo, floribus ex albo purpurascens, & sili-

Acacia officinarum.

Acaciz succedaneum.

Acaciz primæ Matth. descript.

Gummi Arabicum.

quis, & semine Lupino similibus. Dioscorides tamen Acacia albos reddidit flores. Atqui cum Acacia Theophrasto, & Plinio tum nigra, tum alba, generis diversitate habeatur facile crediderim albam, album proferre florem: nigram verò (ut nostra hæc est) purpureum, & præsertim cum Theophrastus scribat Acacia florem aspectu esse pulchrum, & coronas ex eo factitari. Nam purpureus color longe pulchrior speciosiorq; est quam albus. Scire etiamnum convenit, gummi, quod ab arbore acacia manat, ideo Serapioni Arabicum nuncupari, quod ab Arabia regione Aegypto contermina suo tempore importaretur. Sed animadvertere oportet, quod Arabicum vulgari usus gummi longè quidem ab illo differt, quod ab acacia colligitur.

tur: namq; illud non contractis vermiculis simile, sed in grumi versicoloribus conficitur, quorum alii succinum alii opatium, alii chrysopatium, alii beryllum colore, & nitore referunt. Quod autem nobis gummi Acacia desit, illud argumento esse potest, quod ipsa quoq; legitima acacia hactenus, quod sciam, non desertur. Nam si hoc, quo utimur, syncerum, legitimumq; acacia esset gummi, proculdubio ipsa quoq; acacia ad nos conveheretur, cum longe magis in paranda theriaca, aliisq; componendis medicamentis expectatur, quam gummi. Hinc itaq; facile quisq; conieciere potest gummi ex Aegypcia spina desluens ab eo sanè plurimum differre, quod Arabici gummi nomine officinarum vulgus habet. Hoc igitur vulgare gummi illud equidem esse existimaverim, quod Græci gummi simpliciter vocatur. In quam sententiam me adduxit Galenus, siquidem lib. 7. simplicium medicamentorum, sic inquit: Gummi lachryma est congelata, concreatq; in truncis arborum ipsam fundentium, velut resina quoq; in multo visitur plantis, quæ resinam fundere possunt. Ceterum quod ex c. atoria, emplasticq; sit facultatis, constat: hac Galenus. Ex cuius verbis palam est, gummi sic in universum Græci appellatum, nostrum gummi esse vulgo Arabicum dictum. Quod quidem (quantum sensuum iudicio consequi possumus) ex pluribus arborum gummi miscellaneum est. Cuius rei manifestio indicio sunt cum gumorum forma diversitas, tum colorum varietas. Hinc etiam accedit, quod Galenus unica nomenclatione omnia earum arborum gummi comprehendit, quæ resinam non proferunt. Quamobrem omnino explodenda videtur eorum sententia, qui ubi Græci gummi absolute scriptum reliquerunt, illud gummi intelligendum esse contendunt, quod è spina Aegypcia manat. Non desunt præterea, qui gummi spina Aegypcia illud esse opinentur, quod gummi Dragaganthi, hoc est, tragacantha officinis appellatur, propterea, quod effigie contractos vermiculos referat, quo nihil certe melius illi competere posset. Sed tamen hoc etiam illud non est, ut suo loco dicemus. Galenus lib. 7. de compositione medicamentorum per genera, Acacia gummi non quibusdam vocat: hoc fortasse argumentum quod scripserit Theophrastus (ut supra dictum est) ingentem huiusce spinæ sylvam esse in agro Thebano. Sed cum ad nos non perferatur acacia (ut paulo ante scripsimus) nec etiam ejus gummi importari credendum est. Gummi Acacia meminit Jacobus Sylvius, vir sanè ætatis nostræ ingenio & doctrina celebris, suo de natura simplicium medicamentorum libello, his verbis. Gummi acacia non meminit Galenus in Acacia libro sexto simplicium, uti nec acacia mentionem facit paulo post in Acantha Aegypcia seu Arabica, quo nomine soli Dioscoridi vocatur. Unde colligas licet, acaciam & acantham Aegypciam seu Arabiam, diversas esse in Aegypto spinas arbores: hac ille. Sed mea quidem sententia, quandoquidem Galenus acantham Aegypcia arbor utiq; non est, sed herba è carduorum genere, quemadmodum & Dioscoridi libro tertio ἀκανθα ἁγία, hoc est, spina alba similis, quam Mauritanii suchaa appellant: quocirca eo capite Acacia meminisse Galenum omnino fuisset absurdum. Ceterum alteram ACACIAM, quam in Cappadocia, Pontoz, provenire tradit Dioscorides solius ruta, quamq; hic depictam damus, accepimus hoc anno à quodam ex iis, qui rei herbaria dant operam. Et quoniam ea Dioscoridis historiam perbellè representare visa est, non potuit animus non inclinari ad credendum hanc secundam esse Acaciam. Est enim aculeis horrida, foliis ruta, semine lenticula minore, in siliquis ternum quaternumve capacibus, quod autumno profert, gustu etiam adstringente: color siliquis aureo quodam fulgore respersus, adeo ut in sole auri modo pelluceat. Ab hac sanè opinione non recedam, antequam eam viderim plantam, quam Anguillarius secundam Acaciam esse censet. Nam ejus iudicio minime subscribam, nisi prius plantam conspexerim. Acacia vires adnotatæ reliquit Galenus lib. 6. simplicium medicamentorum, ubi sic inquit. Acacia & planta ipsa acerba est & fructum & succum, qui lotus quidem & imbecillior, & minus mordax redditur, utpote acrimoniam quandam per lotionem deponens. Porro si parti alicui sanæ illinatur, protinus eam & ficiorem, & contractam efficiet, nullum quidem caloris sensum invehens, sed nec frigoris admodum valentem. Unde constat medicamen id esse frigidum, & terrosum, immista quadam etiam essentia aquea. Et sanè conjectura est non esse simile, verum quasdam in sese dispersas habere partes tenues & calidas, quæ in ipsa ablutione segregantur. Estq; & hoc tertii ordinis exiccantium & secundi refrigerantium, ubi quidem elotum fuerit, illotum verò primum. Nomina, men, q. acacia habet apud Græcos, idem q. est Acacia, retinet apud Latinos & Italos. Ea autè Arabicè Achachia appellatur.

Gummi
Græcis
quid.

Quorum
dam la-
pus.
Draga-
ganthi.

Jacobi
Sylvii o-
pinio re-
probata.

IV. ACACIA ALTERA

Acacia
alterum
genus.

Anguil-
lari opi-
nio.

Acacia
vires ex
Galeno.



gentur. Estq; & hoc tertii ordinis exiccantium & secundi refrigerantium, ubi quidem elotum fuerit, illotum verò primum. Nomina, men, q. acacia habet apud Græcos, idem q. est Acacia, retinet apud Latinos & Italos. Ea autè Arabicè Achachia appellatur.

Acacia ab ἀκῆς acuo, quasi acuta, quare Theop. 4. hist. 3. simpliciter Acantham, id est spinā, vocat. Spina Aegypcia, ex qua Acacia præparatur, Aëtio lib. 1. & Oribasio. Spina Aegypcia, aliquib. Arabica Gal. 6. simplicium: at Dios. & Plin. dilinxere. I. Acacia Aegyptiaca C. B. Acacia Aegypcia, Dod. Gal. Lug. Acacia, Belonio in iconib. Dod. Alpin. Acacia prima, Lac. Acacia prima Aegyp. Cam. Acacia Alexandrina, Cast. Spina Acaciae Dios. Lob. Acanthus Theoph. Anguillare. Succus expressus Acacia dicitur Paulo & Aëtio, at Gal. succus Acaciae lachryma cyanea Andromachi fortè: verum officinarū Acacia prunellorū agrestium succus est diligenter spissatus. Gummi quod ex hoc manat, veterib. absolute videtur gummi dici, ut apud Gal. 4. secundū loca 4. cui lib. 7. secundū genera gummi Thebaicū, aliis Babylonicū, aliis vermicularū: gummi acanthinū, Marcello: gummi Alexandrinū, Scribonio dicitur. II. Acacia, Matt. Cast. Lug. quæ licet videatur nil aliud esse, quā Arbor Judæ, cui aculei adpicti: siquidē tota descriptio, aculeis exceptis, nostræ tertio loco positæ cōveniat: attamen cum cōmentator se talē accepisse testetur, nolūmus eam remove, sed potius arboris Judæ iconē verā, ut juxta se posita dignoscatur, adicere. III. Arbor Judæ dicitur Ges. hor. Dod. Lo. Tab. Lug. cui & Colyrea 3. Theoph. quibusdā: Siliqua sylvestris Clus. Hisp. Cam. in Matt. Cæs. Siliquastrū & fili-

SALIX.

SALIX LATIFOLIA

rotunda.



SALIX HUMILIS REPENS.



re rustica libro. Rursus alia firmiores corbibus & rusticana su-
pellestili admodum expetita. Alia deniq. sunt minuscule ac spe-
ctabili tenuitate, texendis canistris, cistellis ac calathis aptissi-
ma, omnibus folia oleaginea oblonga, superne virentia, & infer-
ne candicantia. Nascuntur humecto solo in fluviorum & fossa-
rum aggeribus. Salicis lachrymam trium generum esse prodi-
dit Plinius lib. 24. cap. 9. tamen si unius tantum generis memine-
rit Dioscorides. Unam arbor ipsa sponte exudat, altera manat

Salicis la-
chryma
triplex
Plinio.

in plaga, cum floret, exciso cortice trium digitorum magnitu-
dine: tertia est detractione ramorum autumni tempore à
falce distillans. Caterum qui salicis albicantem spumam adno-
taram reliquerit invenio neminem: que delapsis statim flori-
bus è ramusculis uva modo dependet, donec ventis arrepta huc
& illuc pluvie modo impellitur. Salix citò senescit, ac brevi vi-
te spatio perdurat. Salicis recentia folia utiliter à Medicis ad-
duntur in lorionibus, quæ ad somnum conciliandum parantur,
sparguntur eadem utiliter circa febricitantium lectulos. Eorum

Salicis
spuma.

salicis decoctum, aut lixivium è salicis cinere paratum, inha-
rentes gutturi hircines necat solvitq. viridia folia spargun-
tur utiliter circa febricitantium lectulos. Ligni materies, cadis
ac scutis conficiendis, aptissima, quod suo lentore frangi contra-
max sit, & levitate polleat. Salicis vires memoria prodidit Ga-
lenus lib. 6 simp. med. his verbis. Salicis foliis ad cruenti vulneris
glutinationem quis uti posset. Verum floribus ejus maxime propè
omnes utuntur medici ad exiccantis emplastri præparationem:
est enim vis eorum ita desiccatoria, ut morsu abstineat: habet ve-
rò etiam quandam adstrictionem. Sunt verò etiam, qui succum
ex ea expressum, medicamen servant mordacitatis expers, &
exiccatorium, ad multas res utile. Haud enim invenias quid ad
plures res utilius, medicamento citra mordacitatem exiccante,
quod paulum etiam adstringat, sicut in opere de medicamentis
composicione exactius demonstrabitur. Porro arboris cortex

Salicis vt-
res ex
Galeno.

similem facultatem obtinet tum floribus, tum foliis, nisi quod temperatura sit siccioris, velut omnes cortices. Sed hunc qui-
dam comburunt, ejusq. cinere utuntur ad omnia, quæ valenter desiccare oportet. Nam clavos, quos vocant callos, Grecis
τῶλας, myrmeciasq. tollunt, aceto acris ipsum macerantes. Nonnulli autem dum floret salix, corticem ejus incidunt & suc-
cum quandam colligunt, utunturq. ad ea, quæ pupillas offuscant, extergente videlicet, simulq. tenuium partium medicami-
ne. Uti verò illo ad multa alia quis posset, siquidem talis fuerit. Salix ita Latinis dicta, Grecis τρέξ: Arabibus Bulef, Bhulles Nomina.

P 4

Saffas

Saffas aut Chalif nominatur: Italis Salice & Salcio: Germanis Weiden und Zelbinger: Hispanis Salce aut Salgueiro: Gallis Saulz: Bohemis Vurba.

Salicis
differen-
tia.

Salix *ἰρέα*, παρὰ τὸ ἵρεαι quod ea celeritate crescat, ut *ἵρεαι* videatur: *οἰλίσια* παρὰ τὸν *φρούριον* frugiperda Homero, quia ocyllimè semen amittat, ut habet Theophrastus 3. hist. 2. & Plinius lib. 16. cap. 26. Salix alia perticalis, alia viminalis. Perticalis, quæ vulgaris & prima, vel est sterilis, flores ferens amentaceos ante folia: vel est fructifera, ferens racemulos populi instar oblongis granulis. Viminalis variat colore corticis magnitudine & fructu. Colore est cortex albo seu pallido, Gallica dicta: nigro, phœnicea Theophrasto, purpurea Plinii: luteo, Græca dicta, vitellina Plinio: Cinereo, quæ latifolia seu aquatica. Magnitudine, alia viminalis magna, alia parva: magna quæ secunda est salix purpurea nigra viminalis, cui peculiare quod ad cujusq; folii petiolum gemina semper sint foliola, *μελασφύλλοις* Theophrasto: tertia salix phœnicophloios sive phœnicea: quarta salix lutea: quinta salix latifolia, quam aliqui Elæagnon Theoph. censent, quæ duplex, alia folio oblōgo, quæ salix caprea latifolia Tab. alia folio rotundo, salix quarta Trago, cujus iconem adposuimus: sexta salix angustifolia: septima, salix foliis longissimis, Eleagnos Lugdunensi. Parva variat foliis latis & angustis: latis salix humilis repens, cujus iconem adposuimus, quæ duplex est apud Clusium historia Pannonica, hæc octava est & nona: decima est rotundifolia in historia nostra describenda. Angustifolia duplex Clusio, undecima & duodecima: decima tertia, salix Helice Lugdunensi, quæ baccas fert rubentes & caput squammis compactum: decima quarta salix marina quæ testis ostrearum & faxis in mari adnascitur. Fructu variat, quod alia sterilis, alia fructifera, ut supra dictum.

Ἀγνηταία.

SYLVESTRIS OLEA.

CAP. CXVIII.

Meum
καρπός. i.
fructum.

Meum
καρπός. i.
subful-
va.

Sylvestris olea, quam aliqui cotinon, id est, oleastrum appellant, alii Æthiopicam olivam: folia astringunt, trita autem & imposita ignem sacrum, ulcera quæ serpunt, epinyctidas, carbunculos, reduvias, nomasq; cohibent, crustas emarginant cum melle illita: quinetiam sordida ulcera repurgant: inflammationes, panosq; cum melle imposita discutunt, cutem a capite vulsam conglutinant: oris ulceribus, & privatim infantium commanducata medentur. Succus & decoctum eisdem habent effectus: sanguinis eruptiones ac muliebri profluvium, ad motus succus inhibet: uvæ oculorum pustulifque prodest: ulcera & veteres defluxiones sistit: quapropter in collyria additur, ad palpebrarum erosiones perquam utilis. Exprimitur succus tuis foliis, assuso vino aut aqua, siccatusque sole in pastillos digeritur: sed longè validior ad recondendum succus habetur, qui cum vino, quam cum aqua expressus est: auribus subvenit sive ulcerentur, sive pus effluat. Folia convenienter coeliacis cum farina hordeacea illinuntur. Uruntur cum floribus folia, ut spodii vicem cinis præster, in cruda olla, oblito ore luto, usque dum figulinum percoquatur: restinctaque vino, & rursus subacta, eodem modo uruntur: postremo cerusæ modo elota coguntur in pastillos. Hujuscemodi cinerem in medicamentis oculorum constat spodio non cedere, sed eisdem viribus præditum esse putandum est. Foliorum sativæ olea eadem vis intelligitur, sed aliquando inferior: unde ocularibus medicamentis ob suam mitiorem vim convenientior est. Sudor ligni virenti accenso manans, illitu sanat lichenas, furfures & scabiem. Oleaginum semen illitum medetur furfuribus & ulceribus, quæ depascunt, vorantq;: quod autem intra nucleum est, ex adipe & farina scabros ungues excutit. Colymbades trita, & ambustis illita, pustulas gigni prohibent: sordida ulcera purgant. Muria succus collutas gingivas contrahit, & motus dentium firmat. Oliva flava & recens stomacho utilior est, ventri difficilis: nigra autem & matura corruptioni opportuna est, stomacho adversatur, oculis non convenit, capitis dolorem movet: arefacta illitu depascentia ulcera sistit, & carbunculos emarginat. Oleum sylvestris olivæ gingivis putri uligine laborantibus colluitur, dentium mobilitates stabilis: calfacti foris gingivis fluxione laborantibus utilis est: lanam enim specillo circumligatam oleo madefacere oportet, & gingivis admove, donec albæ spectentur.

Δαίτυρον αἰθιοπικόν ὀλέα.

LACHRYMA ÆTHIOPICÆ OLEÆ.
CAP. CXIX.

Quæ cō-
clusa sunt
tribus in
locis non
leg. Orib.
Meum
καρπός. i.
magnum
& leve.

Lachryma, quam Æthiopica olea stillat, scammonio similis quadantenus est, fulva, stillis exilibus constans, mordax. Quæ autem [ammoniaci aut gummi similitudinem refert,] colore a nigricans, [nec] gustu mordens, supervacua est. Nostrates [olea,] oleastris [quæ] similem lachrymam sudant, quæ commodè ad oculorum hebetudines illinitur: cicatrices, albuginesq; illitu emendat: urinam & menses ciet: cavis dentium impressa ad dolores efficax est. Inter venena scribitur, partus pellit: lepras & impetigines sanat. Appellatur autem Æthiopica & agrestis olea.

Ἀμύργα.

AMURCA.

CAP. CXX.

Meum
καρπός. i.
Oleum, leg.
Orib.

Murca a [expressæ] olivæ rectementum est. Decocta in cupreo vase ad crassitudinem mellis adstringit, ceteros præbens lycii effectus. Insuper dentium dolori, & vulneribus cum aceto, vino, aut mulso commodè illinitur: additur in medicamenta ocularia, & meatus ducto suo obstruentia. Vetustate meliorem fieri constat. Utiliter infunditur sedis, genitalium ac vulvæ exulcerationi. Si verò cum omphacino recoquatur ad mellis crassitudinem, cariosos dentes extrahit: jumentorum scabiem cum decocto lupini, & chamæleonte illitu sanat. Cruda & recentia murca podagras, articularesque dolores foveri, utilissimum: peruncta in villosa pelle & hydropicis imposita, tumoris molem reprimat.

Cum

I. OLEA SYLVESTRIS.

II. OLEA DOMESTICA.



Cum oliva, oleum olea Aethiopica lachryma, & amurca ex una tantum arbore proveniant: non ab re duximus de his Oleæ cō-
 sideratio.
 omnibus simul pertractare. & ita singulis partibus unica commentatione quantum opus erit, satisfacere, & quicquid
 ad eas spectat, simul perstringere Olea itaq, folia habent longa, in acutum desinentia, crassa, pinguiaq, superne virentia,
 inferne albicantia, sapore amaro & acrisculo. Florent omnes Julio mense floribus albis, racematim prodeuntibus, è quibus
 bacca prodeunt primum virides, deinde appropinquante maturitate palescunt, tandem purpurea prius facta saturate ni-
 grescunt: decerpuntur mense Novembri & Decembri, namq, antea non maturefcunt. Sternuntur deinde in pavimentis,
 donec rugosa fiant, deinde mole supponuntur, & torculari premuntur, affusa ferventi aqua: ita enim oleum reddunt. Li-
 gni materies pulchra, solida, venosa, crispa, ardetq, viridis, perinde ac sicca: seruntur in collib, & in campis. Nascuntur syl-
 vestres olea copiosa in agro nostro Senensi, alijsq, Hetruria locis: nascuntur & in Dalmatia tractu, & in quam plurimis A-
 driatici & Aegæi maris insulis, verum domesticis longè minores, foliis brevioribus aculeatisq, ramis. Earum bacca et si nu-
 merosa fecunditate vincant, magnitudine tamen sativæ cedunt: quin & gustatu adstringentiore sentiuntur, & ori sapi-
 diores existunt. Cujus rei certo sunt testimonio turdi, merula & sturni: quippe quoniam sylvestres olivas libentius devo-
 rant, quam sativas. Incole, qui aucupii delectantur, agrestes oleas summo studio ac industria ab avibus tumentur: nempe
 quoddam consecrata sativarum videlicet, avicula ad has advolant, ubi mense Decembri & Januario visco innumera capiuntur,
 praesertimq, turdi. Pauci admodum sunt in Hetruria, qui oleastri baccas legant ut oleum inde exprimant: nam ea demum
 magna sativarum copia est, qua facit, ut inibi omnino parvipendantur sylvestres. Olivarum genera decem in antiquorum
 notitiam pervenisse reperio, paucissimas videlicet, algianas, licimianas, sergias, nevias, culminias, orchites, regias, circites, mur-
 teas: et si Virgilius trium generum tantum meminerit, quemadmodum etiam plura non novit hac nostra aetate Hetruria,
 praesertimq, noster Senensis ager. Primum harum genus eas nostri faciunt, quæ licet à minoribus olearum plantis proferantur,
 sunt tamen speciatim a forma & magnitudine. Bononiensibus non quidem inferiores: his tantum muria asservatis utuntur in
 cibis: quandoquidem oleo minus aptæ sunt, quod multo plus amurcæ quam olei fundant. Proxima tum colore, tum magni-
 tudine præstantes, quamvis prædictis longè minores sint, sunt tamen omnium aptissima ad olei conficiendi usum: quippe
 quod oleum ex eis expressum, sit non modo flavum, dulce, pellucidum ac ceteris præstans, sed etiam copiosum. Gignuntur hæc
 à procerissimis oleis, prægrandib, juglandium nucum instar, ramos in altum latumq, amplissimè fundentibus, eas rura nostra
 Olivastre vulgo vocant. Tertiis vero ac postremis generis ea deniq, sunt, quæ passim in universa Italia nascuntur, & omnium
 vulgarissime habentur. Laudatissima oliva Bononiensibus & nostratibus crassiores muria asservata Romam, Venetias, &
 ad alias complures Italia clarissimas urbes, ubi magnifica, opipareq, parantur mensæ, ex Hispania importantur. Condiun-
 tur muria oliva brevi tempore, servata nativa viriditate, hoc modo. Sumuntur calicis viva cribrata libra sex, aqua quod
 sufficit ad dissolvendum, quousq, calx pultricula liquida fiat, huic adduntur cineris querni cribrati libra duodecim, & aqua
 tantum, q, sufficiat ad dissolvendum: deinde in hac pultricula macerantur olivarum viridium electarum libra viginti quinque,
 horis octo continuis, aut ad summum decem (hoc temporis spatium omnem amaritudinem exuent) sed interim lignea rude
 leviter cōmisceantur, ne ledantur, contundanturve. Eximuntur deinde, & lavantur in aqua, in qua posthac macerantur
 quinque, senive diebus murata, affusaq, sepius aqua: Extrahuntur deinde, & condiuntur muria in qua ferbuerint prius fœ-
 niculacei caules in particulis dissecti: & asservantur siccili, q, commodum fuerit. Ita enim parata nativam viriditatem ser-
 vant, & esui delectabiliores evadunt. Ceterum olea, & quercus tam pertinaci odio inter se disident (si rei agrarie scriptorib,
 fides est adhibenda) ut altera prope altera depacta brevi tempore pereat. Olea item si primo germinatu a capra depascan-
 tur, adeo sterilescent, ut nullo remedio in posterum prolifica fiant. At si alia de causa raras admodum, vel nullas proferant
 baccas

Olea syl-
vest.Olivarum
genera
decem.Olivas
condien-
di ratio.Olea &
quercus
odium.

Æthiopi-
ex olea
lachry-
ma.
Gummi
elemi.

Amurca
olei.

Olivæ
vires ex
Galeno.

Nomina.

baccas, nudatas earum radices à circumstante terra hybernus algoribus opponere, certissimum est remedium. Amant olea apricos tractus & colles, calidasq; regiones, nam in frigidis locis non proveniunt. Sylvestris seu Æthiopica olea lachryma, licet multis polleat viribus, ejus tamen in Italicis officinis nullus est usus: neq; quod ea ad nos afferatur, adhuc compertum habeo. Sunt, qui hanc putent illud esse gummi, quod medici recentiores, & officina gummi elemi appellant. Verum illud certo argumento est, olea Æthiopica lachrymam gummi elemi non esse, quod gustatu mordax non sit, neq; linguam vellicet: tum etiam, quod omnibus perspicuum sit, eam lachrymam (et si improprie gummi appelletur) non in gummi quidem, sed verius in resinarum genere esse recipiendam: cum igni exposita statim colliqueat & diffundatur, quemadmodum & resina, quæ è pinu, picea, & aliis resinam fundentibus plantis colliguntur: licet nobis prorsus ignota sit planta, à qua in Oriente defluit. Siquidem nullum gummi genus (quod ego sciam) igne colliqueat, nisi addito aceto vel vino: quin potius statim comburitur. Est & alia olea maris rubri lachryma, ex qua (ut Theophrastus inquit lib. 4. cap. 8.) medici sistendo sanguini medicamentum componunt. Caterum quamvis etate nostra obscura admodum sit gummi elemi origo, ejus tamen vires clarissime apud chirurgicos & vulnerarios medicos reperiuntur: nam in calvarie fracturis, ac vulneribus mirifice unguentis, & emplastris additur, adeo ut præstantissimum sit in his sanandis medicamentum. De Amurca olei postremo nil aliud dicendum est, nisi quod sit admodum utilis (ut memoria prodidit Cato) apotecarum & officinarum fabricis, ubi lanei, vel sericei panni reconduntur. Nam si calci admisceatur, & ex ea inde parietes incrustentur, oblinanturq; item laquearia & pavimenta, non modo parietes contractos, vel adventitios humores nunquam collachrymant, & situm minime contrahunt: sed nec blatta, nec aranei, nec cuiusvis generis vermiculi ibidem gigni possunt. Sylvestris olivæ oleum ceteris adstringentius est. In doloribus capitis utiliter pro rosaceo substituitur, sudores illitu arceat, & defluentes capillos cohibet, capitis sursum, ulcera manantia, scabiemq; abstergit. Tardius etiam canitiem sentiunt, qui eo quotidie perunguntur. Olivæ vires prodidit Galenus lib. 6. simplicium medicamentorum, sic inquit. Olivæ rami quantum habent adstringunt, tanta & frigiditatis participes sunt. Fructus vero si quidem ad unguem maturunt, moderate calidus est: si immaturus est, magis tum adstringit, tum refrigerat. Olea sylvestris rami, ac folia magis adstringunt, magisq; refrigerant quam domestica. Olea sativa, sic Latine, ut *ἰσχυρὸν* & Græcè vocatur: Arabicè Saiton seu Caïton: Italicè Olivo domestico: Germanicè Delbaum: Hispanicè Olivo & Azeytimo: Gallicè Olivier. Sylvestris autem *Ἀγροδάλα*, ἡ ἄγροα appellatur: Latinis, Oleaster & Olea sylvestris: Italis Olivo salvatico: Germanis wilder Delbaum: Hispanis Azebuche: Gallis Olivier sauvage.

Olea sativa est & sylvestris. I. Sylvestris olea seu cotinus Dioscoridi: olea sylvestris, Lac. Lob. Dod. Tab. Oleaster Lon. Lug. Cæs. II. Sativa, olea & olea sativa herbariis dicitur. Olivarum genera plura proposuit Plinius lib. 15. cap. 3. Columella verò lib. 5. cap. 8. decem recensuit. At Virgilius 2. Georgicorum tria enumerat quæ nota satis, Orchites, Rhadios & Pausias. Tria quoq; ad nos adferuntur genera: grandissimæ nucis ferè magnitudine ex Hispania muria conditæ, quæ Superbæ Plinii fortè: dein majusculæ & oblongæ ex Gallia & Italia: tum Genua minores rotundiores, quæ Olivellæ vocantur. Verum apud Generosum Baronem Rudophum à Salis Cæsareæ Majestatis consiliarium, aliquoties comedimus peculiare à prædictis olivas, quæ oblongæ sunt & magnitudine ad Hispanicas accedunt, verum minore sunt pulpa seu carne & nigricantes, quæ in Rhætia suis in hortis proveniunt.

Δφν.

QVERCUS.
nph.

Βάλανος.
nph.

GLANS.
CAP. CXXI.

Φαγός.

FAGUS.

Quercus omnis adstrictoriam vim habet, præsertim liber, qui cortici & ligno intercedit: quinetiam tunica putamini glandis subiecta. Decoctum ex iis datur dysentericis, celiacis, sanguinem excreantibus. Trita in pello fœminis fluxione vulvæ laborantibus subicitur. Glandes eosdem effectus exhibent: urinam ciunt: capitis dolorem, & flatu in cibum sumptæ pariunt: resistunt escitæ venenatorum ictibus. Decoctum earum, & corticis cum lacte vaccino potum, prodest contra toxica. Inritæ crudæ inflammationes illitu leniunt: ad duritias, quas cacoethe vocant, & malefica ulcera cum salsa axungia conveniunt. Hignæ glandes viribus quernas antecellunt. Fagus & Ilex quercus generi assignantur, & consimile munus obeunt. Ilignæ radices cortex cum aqua coctus, dum mollitus intabescat, & tota nocte illitus, denigrat capillos, prius cimolia terra purgatos. Folia omnium tusa & trita tumoribus profunt, & imbecillas membrorum partes corroborant.

Glandi-
ferarum
arborum
consider.

Quercus
quæ pro-
ferat ex
Theoph.

Sunt & aliæ glandiferi generis arbores, præter Quercum, Ilicem & Fagum: inter quas numerantur Cerrus, Suber, Æsculus, Phellodrys & alia nonnulla, quæ suo more rura nostra appellant, quarum omnium exalterationem reddere potest universa Hetruria. Quippe quod & in maritimis nostris Senensibus, & Faliscorum agro, ac etiam Romano tractu, omnia hæc glandiferarum genera adeo numerosa in vastissimis sylvis proveniant, ut glandibus innumerabiles porcorum greges incola ibi quot annis saginent. Verum ne aliquis existimet, harum non meminisse Dioscoridem, quod fortasse eas non cognoverit, sciendum est, eum, meo quidem iudicio, *Δφν* nomine comprehendisse in universum omnes glandiferas arbores non solum quod sciret, una voce omnia illa genera contineri posse, sed etiam ut brevitati consuleret: *Δφν* enim apud Græcos non modo quercum particulatim significat, sed universam quamcunq; glandiferam arborem. Quo fit, ut dixerit ipse: *Δφν* τὰ αὐτὰ γέννηται ἔχει Ἀνναγόν, id est. Quercus omnis adstrictoriam vim habet, ac si dixisset, arbor omnis glandifera adstringit. Quercus foliis est oblongis, firmis, robustis, per ambitum utring, sinuatis, caudice crasso, cortice rudi, scabroq; in ramis verò leviori. Materie robusta, dura, gravi, compacta, firmag. Glandifera est arbor, & præter glandes Gallas quoq; producit cum majores, tum etiam minores, quas omphacitides vocant. Alios quoq; fert fructus de quibus Theophrastus. Porrorum est (ut Theophrastus est auctor lib. 3. cap. 8. & 9. de plantarum historia) quod alia plurima præter fructum ferat quercus. Nam gallam gignit parvulam atq; alteram resinofam & nigram: quin & aliud speciem veluti morum, sed durum & fractu admodum difficile, id tamen rarum: ad hæc aliud effigiem colis representans. Cum verò perscitur, durum quid parte emicante & perforatum, & tauri caput quodammodo emulans profert, quod prurptum nuclei olea speciem intus ostendit. Fert & quod quidam pilum appellant. Id pilula est comam gerens laxacem, mollem, nucleo durior, qua in lucernarum luminibus utuntur: flagrat etenim probe, ut galla nigra. Fert & alteram comigeram pilulam, Caterum quidem in-
utilem,